DEFENSIO
XX. PROBLEMATVM MELCHIORIS GVILANDINI,

aduersus quæ Petr. Andreas *Matthæolus ex centum* scripsit.

Auctore Paulo Hesso.

Adiecta est

PETR. ANDREAE MATTHAEOLI aduersus XX. problemata Melchioris Guilandini disputatio.

CVM PRIVILEGIO S. V.



BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMAN

PATAVII,
Apud M. Antonium Vlmum.
M D LXII.

3

MARINO CABALLO VENETO, PRAETORI PATAuino ex ſenatuſconſulto, viro auitis Nicolai paternisq; Sigiſmundi virtutibus ſimillimo, omnibus belli ac togæ dotibus, ingeniique ac ſtudiorum eminentisſimo

Paulus Heſſus Germanus S. P. D.

EA eſt mortalium cōditio, CABALLE optime maxime, vt actionū ſuarum omniū felix auſpicium & ſucceſſum proſperum polliceri ſibi nequeant, niſi aſpirāte numine aliquo diuino. Hinc originem traxit fabuloſa quidem, nō tamen vſque adeo inepta gentilium de multitudine Deorum commentatio.

Nam ſi hanc rem ſobriè conſideremus, tot tamque variæ de Dijs ſententiæ, in vnum quaſi centrum concurrere videntur, nihil benè, nihil feliciter hominum generi euenire poſſe, niſi adiuuante & promouente Deo. Quod apud Homerum poetarum fontem & principem Neſtorem illum ſenem ſapientiſſimum & eloquentisſimũ, cuius ab ore dulcior melle fluebat oratio, liberis quoq; ſuis inculcaſſe legimus, εὔχεσθαι· πάντες δὲ θεῶν χατέουσ' ἄνθρωποι. Secundũ verò locũ poſt Deos, dum in mortali hac vita agerent, iudicio antiquitatis obtinebãt ſummi illi Heroes, quos in Deorũ poſt obitum numerum referebant, quia eos iuſtitia, liberalitate, & beneficentia, alijsque virtutibus heroicis

ſimil

ſimillimos Dijs immortalibus fuiſſe perſuaſum habebant. Præcipuè verò Philoſophi atque Poetę, qui ingenij ſui monumenta poſteritati commēdare ſtudebant, tunc demum auguſtiora illa atque diuturniora fore credebāt, ſi poſt Deorum tutelam, præcipuo alicui & illuſtri Heroi, curæ eſſent, atq; probarentur. Quantum Ariſtoteli auctoritatis & exiſtimationis peperit præclarum Alexandri Magni Macedonis de ipſo iudicium quis ignorat? Quid de Marone legimus?

Ipſe per Auſonias Aeneia carmina gentes
Qui ſonat ingenti, qui nomine pulſat olympum,
Mæoniumq́; ſenem Romano prouocat ore,
Forſitan illius nemoris latuiſſet in vmbra
Quod canit, & ſterili tantum cantaſſet auena
Ignotus populis, ſi Mæcenate careret,

Auguſti enim Imperatoris benefi-

cio & liberalitate Maronis ſcripta ad poſteritatem perueniſſe exiſtimare omnes debemus. Mihi quoque diu multumq́ue deliberanti de opuſculo hoc publicando, poſtq̄ diuino numini hoc ipſum diligenter commendaſſem, in mentem venit antiquorum omnium qua illuſtri cuique heroi ſuos labores dedicare ſunt ſoliti, conſuetudo laudabilis atq; imitatione digna. Neq; verò alium & genere rebusq́ue geſtis illuſtriorem, & virtutibus atq; doctrinarum omnium ſcientia eminentiorem teipſo MARINO CABALLO ex magno illo clariſſimorum Venetorum numero, quorum dum Patauij bonis literis operam dedi famam celeberrimam ad immortalem gloriam pro

pius

pius accedere animaduerteram, cu
ius patrocinio & tutius, & diutur-
nius futurum, quicquid à me in pu-
blicum prodire posſit, reperire po-
tui, vel deligere debui. Quod qui-
dem ita eſſe re vera, non tam mea
oratione quàm rerum prȩclarè abs
te geſtarum memoria, & ipſa au-
ctoritate tua ſumma cū multis alijs
publicis negocijs ſis perfunctus, tū
præcipuè Academiæ Patauinȩ lon
gè celeberrimæ gubernatione, cla-
rus atque conſpicuus nunc exiſtas,
liquidò comprobauero. Quod ſi
dignam tua virtute, & ſempiterna
tua gloria hiſtoriam contexerem,
difficilius ſanè finem quàm princi-
pium habitura eſſet mea oratio.
Quamobrem ea tantum, quæ om-
nium oculis conſpiciuntur, ſingulo

rum voce & præconijs celebrãtur, ne quod cæteris omnibus conſtat, me vnicum turpiter ignoraſſe dici meritò posſit, attingam. Magnam vtriuſque linguæ & Græcæ & Latinæ peritiam tuam teſtatur pręclarum optimarum artium ſtudium, tum omnis liberalis & digna homine nobili percepta doctrina. Quia verò omnes artes, quę ad humanitatem pertinent, quoddam cõmune habent vinculum; & quaſi cognatione quadã inter ſe continentur, pro ingenij tui magnitudine, opum tuarum amplisſima facultate, quod paucisſimis hoc tempore contigit, vniuerſum ſcientiarum & liberalium artium orbem, quem ἐγκύκλιον παιδείαν vocant abſoluere potuiſti. Intelligũt docti omnes,

quam

quam feliciter in ijs artibus, quæ rerum inueniendarum, atq; cogitationũ vias aperiunt, & iudicium atque eloquutionem omnem formant, inde à prima pueritia versatus fueris. Quibus fundamentis rectè iactis facillimũ tibi fuit in omni parte Philosophiæ, quæ rerum diuinarũ atque humanarum est scientia, tã in ea quæ de moribus, quam in illa quæ naturã & causas rerum inquirit, tum verò & in illa ipsa quæ progreditur vlterius, & ipsas res extra corporũ quasi materiam seuocatas cõtemplatur, vsque adeo insignes progressus facere, tibiquè comparare tantarum rerum cognitionem tam admirabilem. Multum prætereà ad perfectam maximarum harum rerũ perceptionem

adiu-

adiumenti attulit Mathematicarũ disciplinarum ſtudiũ, cui ſanè tantum operæ & diligentiæ impendiſti, quantum ad grauiora ſtudia rectius & firmius percipienda momenti habere illas ipſas, ſapientes iudicarunt omnes. Sed quoniam hoc tempore nequaquam panegyricum inſtituere decreui, neque .n. tam amplo, tamq́ue ſplendido virtutis atque gloriæ tuæ perpetuæ fulgori, mea par eſſe poteſt oratio, taceo, quãta cum admiratione non ſemel ſed ſæpius & apud auguſtiſſimum illum Carolum V. termaxinum Imperatorem, cuius prꝗclarum de te iudicium nulla vnquam delebit æui vetuſtas, & alibi, grauiſſimis Reipublicꝗ Venetꝗ in negocijs, Oratorem egeris. Admirati

ſunt

ſunt incredibilem tuam in rebus agendis prudentiam, non ſolùm potentisſimi Galliarum, & Vngariæ Reges, verùm etiam Solymãnum truculentisſimum Orientis Tyrannum eam ipſam ſummis laudibus, præter barbaricum morem, cum nuper Byzantio regrederem, extuliſſe, accepimus. Taceo denique tam in togata quàm bellica diſciplina miram tuam peritiam, atque animi intrepidi magnitudinem conſtantiamqúe penè incredibilem, quibus fiet vt te capeſſente Patauinę vrbis pręturam, quæ tibi ex ſenatuſconſulto decreta eſt, & Gymnaſium laudes tuas plenis buccis concinnare cupiat, & ciues vrbis omnes ſerta pasſim capiti tuo nectere geſtiant. Hoc ſal

tẽ

tem commemorare mihi nunc liceat, quod & ad meipsum, quando de sententia Stoicorum, amicorum omnia sunt communia, spectare plurimum, & ad rationem instituti mei, quod tibi viro præstanti & clarissimo hasce de Simplicibus medicamentis disceptationes amici & conterranei mei optimi Melchioris Guilandini dedicare decreuerim, præcipuè pertinere videtur. Tuis quod auspicijs Melchior Guilandinus conterraneus noster Asiæ atque Africæ magnam partem perlustrauerit, ingẽtes tibi gratias ago ipse, quam debeo referre non possum. Germani verò omnes quotquot Philosophiæ atque Medicæ artis studijs sunt dediti, quicquid in ea parte, quam Guilandinus tuo

bene-

beneficio & fauore maximè excoluit, profecerint, id omne tibi auctori & fautori summo; perpetuò libenter debebunt, atque gratissimis animis acceptum referent. Denique cum ob præclara tua merita, res gestas, atque animi tui dotes nobilissimas, in numerum præstantissimorum heroum recenseri meritò possis, volui tuo auspicio has Defensiones XX. Problematum Guilandini in lucem prodire. Tua enim auctoritate atque protectione, ab insultu maleuolorum fore longè tutissimas credebam. Pro qua sanè tutela, tuoque amplissimo beneficio, si neque ego, neque quisquam nostrum dignam habere tibi gratiam poterit, contentus eris tua æterna gloria atque beati-

tudine

tudine. Nam omnibus qui literarum ſtudia conſeruauerint, adiuuẽrint, auxerint, certum eſſe in cœlo & definitum locum, vbi beati ſempiterno æuo fruantur, vnà cum diuino Platone, omnis antiquitas atteſtatur. Vale. Patauij, pridie Cal. Feb. M D LXII.

DEFENSIONVM, QVAE hoc libello continentur, elenchus.

1 De Malabathro & Folio.
2 De Cassia & Cinnamomo.
3 De Viburno.
4 De Rub. Sinopica & Lēnia terra.
5 De Costo & Zedoaria.
6 De Saliunca & Nardo Celtico.
7 De Tragio & Dictamno albo.
8 De Cneoro.
9 & 10. De Limonio, Behen rubro, & Sabina.
11 De Cedro.
12 De Consiligine.
13 & 14. De Mādragora Theophrasti, & Solano sōnifero Dioscoridis
15 & 16. De Pipere rotundo & Myrtidano.
17 & 18. De Santalis, Maro, Amaracoque.
19 De Telephio.
20 De Amello.


Cardamo conſimilis, Cardamo
disſimili, Cardamum Crom-
myumqúe comeſſe mandat.

M. G. P. A. M.

DEFENSIO XX. PROBLEMATVM MELCHIORIS GVILANDINI,

Aduerſus quæ Petr. Andreas Matthæolus ex centum ſcripſit.

AVCTORE PAVLO HESSO.



OMNIS ſanè cognitio tot ac tantis obſtructa eſt difficultatibus, ſiue id rerum varietate, & fluxibilitate, ſiue intellectus noſtri imbecillitate accidat, vt pauciſſimi mortalium fuerint reperti, qui vel ſapientis nomen mereri, vel alicuius rei integram & perfectam ſcientiam ſibi arrogare potuerint: imò Socrates ille omnium hominum

iudicio, & Apolinis oraculo cum ſapientiſſimus iudicatus eſſet, ſe hoc unum ſcire, quod nihil ſciat palam eſt profeſſus. Quo factum eſt vt Plato primum, deinde Ariſtoteles & reliqui omnes Peripatetici, veritatis inueſtigandæ gratia, in vtramque partem diſputandi, de rebus maximis & cognitione dignis rationem excogitarint, & conſuetudinem hanc receptam poſteris reliquerint. Quos imitati ſunt omnes, quotquot extiterunt à multis iam ſeculis viri doctiſſimi, quiq; non tam quid ipſi ſentiant pertinaciter aliis perſuadere, quàm in contrarium quoque aliorum ſententias atque rationes, audire conſueuerunt. Ita enim non aliter ac ex ſilice latitans flamma ictu elicitur, veritas, qua nihil pulchrius, nihil præſtantius, collatione ſententiarum, obſcura ignorantiæ nebula depulſa, ſeſe exerit, & menti noſtræ conſpicua, illuceſcit. Quod prouerbialis illa Græcorum ſententia ὁμιλία ἔτικτε τέχνας,

ρας,comprobare videtur. Quare perſpicuum omnibus eſſe poteſt, hanc concertandi & contradicendi conſuetudinem & antiquam eſſe,& liberalem, homineque docto & ingenuo non indignam, quique eam admittere nolunt, non tam veritatis ſtudio, quàm Pythagorica ſeruitute teneri. His ergo rationibus, antiquitatis auctoritate & exemplo,atque veritatis amore adductus, hanc defenſionem XX. problematum Melchioris Guilandini in publicum proferre volui, vt doctiſſimorum hominum iudicio,collatis argumentis & ſententijs, decernatur, quantum in ſimplicium medicamentorum inueſtigatione ſtudij & temporis,non tantùm legendo, meditando,verùm etiam longinquas regiones maximo vitæ cum diſcrimine, cognoſcendi deſiderio,& vtilitatis publicæ cauſa,peragrando,collocarit, eique immeritò, ab aduerſarijs, tantas ignominiæ notas, inuſtas eſſe. Quas quidem omnes veritatis

 ſtu-

ſtudioſi & æqui iudices, audita altera quoque parte, exemplo Alexandri Magni Macedonis ſapientiſſimi & fortiſſimi Monarchę penitus abolebunt, & nō tam auctores in diſputādo, quàm rationis momenta quærenda eſſe, cum M. Tullio iudicabunt.

Antequam autem ad defenſionem XX. problematum Guilandini, quæ ex centum circiter veriſſimis, Matthæolus nuper in quadam epiſtola Iohanni Cratoni dicata conuellere conatus eſt, perueniam, cauſam, quæ Guilandinum impulit, vt Theonem ſuum exire pateretur, quanta fieri poterit breuitate, altius repetere, tum neceſſarium, tum operæpretium eſſe duxi. Nam etſi nonnulli exiſtiment, malè Theonem Guilandini Apologiæ nomine inſcriptum eſſe, quod nihil eorum contineat, de quibus Matthæolus aduerſus eum in Epiſtola ad maximum illum FALLOPPIVM de Bulbocaſtano, Holoconitide, & alijs quibuſdam plantis diſputat; vbi ta-

tamen causam facti cognouerint, nõ dubito quin ab hac sua sinistra sententia recedere cogantur. Res admirabilis cumprimis est: nam cum Guilandinus propter innatam suam modestiam, & simile studiorum genus, nunquam Matthæolo bellum indicere constituisset, interea sua grauidus taciturnitate per sociale bellum graue vulnus accepit. Primùm omnium satis constat, epistolã Guilandini de Bulbocastano inscio se à Gesnero esse excusam, cui vt par erat, non debuit respondere Matthæolus, nisi prius priuatis ex Guilandino literis percunctatus fuisset, an quæ ipse priuatim apud Gesnerum constanti oratione asseruerat, ea in posterum publicè defendere stabilireq; decreuisset. Sed nihil minus Matthæolum egisse apparet, quippe quem multas in Italiam literas scripsisse scio, quibus nõ solum eruditissimis in ea viris Guilandinum odiosum reddere studuit, verùm etiam toti Europæ execrabi-
 lem

lem, maximeque infestum, Appendice illa sua facere voluit. Quid enim aliud æquè ambijsse Matthæolū Appendice illa, quam Capiti de Aconito apud Dioscoridem adiunxit, credere debemus? Est profectò Appendix illa cum mordax & aculeata, tum adeo grauibus vbique contumelijs referta, vt hactenus non minorem auctori suo, quàm Guilandino ignominiam peperisse videatur. Et si verò illa sola etiam modestissimū quenque ad respondendum compellere potuit, condonandum tamen Guilandinus aliquid esse censuit iusto Matthæoli dolori, quem ex suis de Bulbo castano literis percepisset, nihilque minus quàm maledictum maledicto trudere voluit. Ecce aūt dum Germani & Poloni, qui tunc temporis Patauij in bona studia incumbebant, diutius instarent, & iam vicio ei vertere exprobrareque inciperent, negligentiam istam, & timiditatem quasi naturalem, perfertur ex Boëmia in

Ita

Italiam nouitius Matthęoli de Bulbocaſtano ad Falloppium partus, Appendice multis numeris fœdior tetriorq́ue, quem vbi Guilandinus perlegiſſet, & magnam ſibi in eo iniuriam fieri animaduertiſſet, mutata protinus ſententia, animum ad propulſandum procacem nimis hominis temeritatem & audaciam, appulit.

Cæterùm cum ſatis ſciret ad nominis ſui exiſtimationem pertinere, ſi ſtatim in primo, qui à ſe emittendus erat libello, vniuerſo terrarum orbi innotuiſſet, quantos ipſe in herbarum ſcientia progreſſus feciſſet, voluit nō leue aliquid mundo de ſe promittere, neque de duabus, tribus'ue herbis cum Matthæolo in certamen deſcendere, ſed longè maximū plantarum numerum in controuerſiam vertere. In qua cum eſſet ſententia, propoſuit ſibi tractandum argumentum Apologeticum, quod in tres libros diuiſit, quorum primus inſcribitur Theon; ſecundus Pattætion; ter-

tius Bion. Quemadmodum verò primus, qui hactenus in lucem prodijt, nihil præter conuitia Appendicis retorquet, sic secundus propediem Epistolæ de Bulbocastano satisfaciet; tertium autem iaculis, quæ deinceps à Matthæolo elidentur, dicare decreuit. Quare cum Theonem candidus lector dici Apologiam audit, non putabit Epistolæ Matthęoli de Bulbocastano in ea responderi, quod propriũ Pattæcionis munus erit, sed tantùm Appendici, quam Capiti de Aconito apud Dioscoridem adiunctam esse legimus. Porrò autem Guilandini mẽtem fuisse in primo Apologiæ suę libro Appendici tantùm respondere, euidentis argumenti loco esse possunt verba ea, quæ Theoni suo inserta esse scimus; cum ait. Proinde cum me immeritò in ineruditos & incomptos illos, ac conuitijs monstrisque refertissimos in Dioscoridem commentarios tuos, nouissimè editos, μολυνοπραγμονέμενον, Hipponacteo
pre

preconio, atque Archilochio edicto traduxeris, his te nunc epithetis, pro officio illo tuo, pro ſingulariq; in me beneuolentia tua, atque amore, quo Guilandinum complecteris, clarum, conſpicuumque fieri, nolis, velis, patiaris. Præterea Epiſtolæ de Bulbocaſtano reſponſurum ſe promittit paulò inferius eo ipſo in loco, mox atque ex India in Europam redierit, ijs verbis. Reſpondebo tibi vitilitigator & Niliace canis, atque omnibus figmentis tuis, ſi me trinus & vnus ſoſpitem ex India aliquando in Europam remiſerit. Ex quibus palam fit nihil minus cogitaſſe Guilandinum cum Theonem conderet, quàm ad Epiſtolam de Bulbocaſtano reſpondere. Verùm hæc ſufficient candido lectori, quis animus, quæ inſtituti ratio Guilandino, cum Theonem ſuum ſcriberet, fuerit, prænouiſſe. Nunc reliquũ mihi eſt nihil aliud, quàm vt ad defenſionem XX. problematum me conuertam.

DEFEN-

DEFENSIO PROBLEMATIS I. DE FOLIO ET Malabathro.

NEque verò mihi quiſpiam vicio vertere poterit quòd ego nouitius in hac profeſſione problemata Guilãdini ſtabilire cupiã, cùm de meo ego nihil adferam, ſed tantùm ea, quæ diſcendi ſtudio ex Guilandino priuatim exceperim, eáque omnia non laudis & gloriæ cupidus, omnibus communicare volui, vt nõ tam hominum quàm doctrinarum admiratores, mecum gaudeant Guilandinum per varios caſus, per tot diſcrimina rerum, quæ cognoſcendi deſiderio adijt, nobis incolumem reſtitutum eſſe, ſibique de eo in poſterum polliceantur, quæ ab homine erudito, & varia rerum experientia confirmato proficiſci poſſunt. Primùm itaque omnium vt ad rem ipſam redeam, quæ de Folio & Malabathro annotaui, eaque à Mat-

Matthæoli ſententia haud parum diſcrepantia, paucis recenſebo. Tria ſunt Malabathrum Indicum, Malabathrum Syriacum, & Folium. Neque ſeparat eo, quem Matthæolus in Commentarijs ſuis adfert Plinius loco Folium à Malabathro, ſed tantùm Malabathri duo genera facit. Ab vtroq; autem Folium alibi diſtinguit, loco quòd is à typographis in Indicem coniectus non ſit, Matthæolo incomperto. Sed ne ille ei poſthac nouum negocium faceſſat, cognoſcet nunc eum ex noſtra erga ipſum liberalitate, beneuolentiaque. Plinius libro XII. eiuſdem numeri Capite de Nardo & Coſto verba faciens, cum pro comperto haberet nullum eſſe ex foliis, quæ aliunde in Europam ſuo tempore aduehebantur Nardi folio odoratius, neque inter exoticas radices vllam Coſto fragrantiorem, hoc Radicem abſolutè per excellentiam, illud verò Folium appellauit; & tantùm abeſt vt Malabathrum Syriacum idem

idem esse cum Folio senserit, vt tria etiam huius genera fecerit, quæ omnia toto cœlo ab vtroq; Malabathro discrepant. Pretium, inquit, spicæ in libras XC. Folia diuisere annonã: ab amplitudine Hadrosphærũ vocatur maioribus foliis X. XXX. Quod minore folio est Mesosphærũ appellatur; emitur X. LX. Laudatissimum Microsphærum è minimis folium, pretium eius X. LXXV. Odoris gratia omnibus maior recentibus. At Malabathrum Syriacum, quod nusquam auctor ille Folium nuncupauit, sed tantum arborem esse dixit, quæ in Aegypto & Syria prouenit, folio cõuoluto, arido colore, quomodo quæso idem esse cum Nardi folio dicemus? An nõ Galenus libro VII. περὶ συνθέσεως τῶν φαρμάκων τῶν κατὰ γένη aliquoties in vnius medicamenti cõpositionem tria hæc vnguenta, μαλαβάθρινον, καὶ φουλιάτον ῥωμαΐστὶ καλούμενον, καὶ νάρδινον adhibet? Quanquam Plinius libro XIII. Capite I. Nardinum

num & Foliatum idem vnguentum appellet, quod falsum esse liquidò Galeni auctoritate comprobatur libro 1. τῶν κατὰ τόπους. Ad defluuium capillorum licebit, inquit, aliquando vnguentum Nardinum adhibere in ætate frigida & tempore hyemali. Bonum autem pharmacum ad omnia, est diuinum fœminarum vnguentum, quod Romæ uocant φουλιάτον. Non minus autem eo commodum est, imò etiam magis quod appellãt σπικάτον. Quare cum his uel solis ungi iubeto, & cum optimo Nardino. Rursus idem libro III. eorundem per locos medicamentorum, aurium doloribus ἀπὸ ψύξεως infundi iubet optimum oleum Nardinum, καὶ τὸ καλούμενον ῥωμαΐστὶ φουλιάτον ἢ σπικάτον. Ex quibus locis manifestè liquet, duo esse unguẽta Nardinum & Foliatum, contra quam censet Plinius: & si non inscitia, sed studio fecisse eum coniicere aliquis possit, quando Nardinum & Foliatum idem unguentum ap-

appellat, quòd Folium, ex quo Folia tum unguentum, non alterius ſtirpis, quàm Nardi ipſius folium eſſe proximè pręcedenti libro docuerit. Quid? Non'ne Plinius eodem uolumine, quum Foliatum & Nardinum idem unguẽtum nuncupaſſet, illud clarè à Malabathro iis uerbis ſeiunxit? Singuli quoque ſucci nobilia unguenta faciunt. In primis Malabathrum: poſtea iris Illyrica, & Cyzicena Amaracus. Quibus ille uerbis non Indicũ Malabathrum denotauit, ſed Syriacum, ex quo oleum exprimi ad unguenta ſupra dixerat. Quò fit, ut Malabathrum Syriacũ nulla ratione Folium eſſe poſſit, quę Matthæoli eſt ſententia. Accedit ad gratiam, quòd Martianus Iuriſconſultus in libro ſingulari tria eſſe ſtatuit, Folium, Malabathrum, & Folium Barbaricũ, quod Foliũ Barbaricum, aut eſt illud, quod Galenus omnibus ſuis uoluminibus ſemel Malabathrum Alexandrinum, Plinius uerò Malabathrum
Syria

Syriacum appellauit, aut certè Malabathrum, cuius Arrianus in Periplo meminit, ubi & tria eius fastigia proponit. Vt Syriacum seu Aegyptiacum Plinii Malabathrum esse credam facit Cicero, qui primo de natura Deorum Aegyptios & Syrios Barbarico nomine notat: ut uerò pro Arriani Malabathro interpreter, adducor Ptolomæi auctoritate, qui Barbariam non longè à faucibus Rubri maris statim sub Troglodytica regione collocat, in cuius maris insulis Arrianus dum littora & oras legeret, magnam Malabathri copiam se reperisse gloriatur. Ait namque, in fine Erythrei maris, in extrema ora, esse ciuitatem mediterraneam, quam Thina appellant, velleribus & ex serico aulæis diuitē, ad quam quotannis gens ex Arabia vicina, vnà cum vxoribus & liberis proficiscitur, quā Setas, homines latiori vultu, loripedes, attamē robustos & crudeles appellant: qui in vicinis Thinorum recessibus delitescunt,

ſcunt, nocte ſarcinulis odoratis, quas ſecũ attulerunt, incubãt: poſtq̃ raptu ditati diſceſſerũt, ciuitatis Thinæ incolæ ſarcinulas, quas Geſatę liberis ſubſtrauerũt, Malabathro plenas colligunt; & auulſis de calamis, quos πέρους vocant, & de foliis fibris, ea in globos complicant, quos ex maioribus foliis ἁδρόσφορον; ex mediocribus foliis μεσόσφορον; ex minoribus verò folis μικρόσφορον Malabathrum dicũt, quę ſic compacta in Indiam deferunt, & magno vendunt. Vnde fortaſſe Plinius Malabathrum eſſe folio conuoluto dixiſſe videri poteſt: quanquã ille totidem quot Arrianus genera, iiſdemque nomenclationibus nuncupata, non Malabathro Syriaco, quod Folium Barbaricum apud Iuriſconſultum eſſe opinamur, ſed Folio ſimpliciter vocitato reddidit. Verùm ne longius mea de his excurrat oratio, abũdè ſatis probatum eſt, tria eſſe Malabathrum Indicum, Malabathrum Syriacum, & Folium, quæ cum
in

in duo Matthæolus coëgerit, certitudinem primi problematis Guilandini, ex ijs quæ hactenus dixi, quilibet cognoſcere poterit. Quare tempus eſt vt iam ad Caſſiã & Cinnamomum tranſeamus.

DEFENSIO PROblematis II. de Caſſia & Cinnamomo.

QVO' naturalium rerum omnium mutatio eſt conſtantior & certior, eò rationes quoque noſtræ de Cinnamomo & Caſſia erunt euidentiores & manifeſtiores. Quis enim uſque adeo deſipiat, vt exiſtimet, id quod ſponte degenerat, & à ſua natura deſciſcit, deteriuſque multo antequam degenerat eſt, in meliorẽ ſe ſpeciem poſſe tranſire? Non'ne triticum & hordeum in lolium mutari videmus? Ocimum'ne in ſerpillum, ſyſimbrium in mentham, et Populum albam in ni

gram coire quisquam ignorat? Sed Cassia cum multis numeris Cinnamomo deterior sit, quippe pro quo Galenus duplum pondus præstantissimæ Cassiæ supponi præcipit, quomodo in Cinnamomum commigrare poterit? Theophrastus libro de Causis plantarum IIII. auctor est mutationes plantarum radicis causa euenire. Atqui cum Cassia, quam Galenus in Cinnamomum transiisse ait, radicem suam haud quaquam peruerterit, quo modo tam repentina metamorphosi Cinnamomum euadere potuit? Rectè scribit Galenus Cassiam in Cinnamomum conuerti, sed Matthæolus quomodo id fiat, non nouit. Neque enim Cassia iam adulta, tota sui mole, atq; omnibus suis partibus (quod nulla ratione fieri potest) in Cinnamomum transit, sed tenelli quidam et nuper nati in adulta Cassiæ stirpe rami Cinnamomum Galeno visi sunt, ac si Cassia in Cinnamomum degene

ras-

raſſet, qui tamen ramuli et ipſi quoq; temporis progreſſu, grandiores facti, niſi ſtirpitus è terra euulſi fuiſſent; Cinnamomum procul dubio eſſe de ſiisſent, neque tamen in aliam ſpeciẽ quàm Caſſiam, in qua nati erant, tranſiiſſent, quippe quam ætate tantùm à Cinnamomo differre etiam Galenus iam olim animaduertere cœpit. Hoc namque illud eſt, quod tradit libro de Antidotis primo, cum ita ſcribit. Quandoquidem autem dixi tranſire ex Galbana in Sagapenum, quicquid illius ſpumoſum, conſiſtens, albumque facilè in humorem diſſoluitur, addendum etiam hoc ſermoni eſt & maximè propter ſimilitudinẽ permutationis ex optima Caſſia in Cinnamomum. Nimirum vidi iã ſæpius Caſſiæ proceræ, quæque ita feliciter excreuiſſet, vt ad fruticis magnitudinem perueniret, germina exquiſita planè ſimilitudine Cinnamomi, tam quò ad aſpectum, quàm corticis tenui-

nuitatem, aliaſque certiſſimas Cinna momi notas, quas tũ guſſu, tum odoratu exploramus. Et deinceps eodem in libro: Caſſia autem genere ad Cinnamomum accedit. Etenim fit nonnunquam ex trãſmutatione illius Cinnamomum, adeo vt conſpiciatur quidem, tota ipſa quaſi arbor exquiſita Caſſia, germina autem quædam in ea Cinnamomi continua ipſis Caſſiæ ramis reperiantur. Hæc ille. Ex quibus nimirum apparet, non Caſſiam, quæ olim Caſſia eſſe cœpit, in Cinnamomum tranſire, ſed potius Cinnamomum in adulta Caſſiæ ſtirpe natum, ni reſectum fuerit, aut ſtirpitus à tellure reuulſum in Caſſiam immutari. Quæ cum ita ſint, efficitur Caſſiam & Cinnamomum aut vnius tantùm eſſe ſtirpis cortices, aut tam exiguo plantas earum interuallo diſparatas ſpectari, vt nõ niſi à peritis diſcerni queant. Quemadmodum enim Opobalſamum, non ex quolibet Balſami frutice

tice in Aegypto & Aethiopia manat; neque Mastiche ex omni Lentisco in Chio fluit, sed ex Balsamo, atq; Lentisco, quas vix exercitatissimi etiam agnoscere possint, tanta plantarum inter se similitudine: Sic quoq; fieri potest, Cinnamomum nõ in qualibet Cassiæ arbore prouenire, sed in ea tantùm, quæ aut proximè ad Cinnamomi arbustum accedit, aut ab origine & primis statim natalibus Cinnamomum fuit. Nec debent quæ de Balsamo & Lentisco dicũtur, fictitia cuiquam videri, quando acerrimis ista naturæ rerum indagatoribus magno studio diligentiaque nuper ijs in locis agnita fuerunt, non minus quàm quę de Mulabus principi Philosopho rum libro de historia Animalium VI. traduntur, qui genus earum singulare in Syria haberi scribit, cætera nostratibus simile, præterquam pariendi potentia, quando Mulę in Syria supra Phœnicen pariunt omnes.

DEFENSIO PROBLEMATIS III. de Viburno.

NIsi fallor Basilij, vel alterius cuiusdam grauissimi patris sententia est, & non tantùm huius vnius placito, sed sanorum omnium consensu comprobata; Primum quodque esse verissimum. Tanta.n.est antiquitatis apud oẽs auctoritas & obseruantia, vt in rebus dubiis plerũque rationis loco esse possit. Quare veriorem esse nostram sententiam de Viburno, vt taceam alia euidentiora argumenta, ea quæ apud Nemesianum & Strabum antiquos poëtas extant, quorum nomina qui secus sentit uix agnoscit, confirmabunt.

Iam nisi me fessum via longior indupediret,
Scrupeus atq; noui tereretur carminis ordo,
Debueram viburna Rosæ pretiosa metallo
Pactoli, & niueis Arabum circundere gemmis.

An non hic Viburnum pro arbu-

busto seu frutice dici æstimandum est? Quemadmodum autem inter frutices habentur alii lenti & obsequiosi, alii duri, rigidi, & spinis horrentes, sic quoq; in Viburnorum genere totidem inueniri differentias, credere par est. Sed Vergilium de mitibus & obsequiosis Viburnis loquutum esse constat, quòd lenta uiburna dixerit, ac si alia ēt haberent nullo lentore sequacia, & spinis non rarò hispida, quod ipsum ex uersibus supra positis plenè innotescit. Neque uerò solùm de sententia Strabi & Nemesiani Viburnum apud antiquos, significare quodcunq; uirgultum fruticemue seu arbustum colligimus, uerùm etiam ipsiusmet Vergilii uerbis hanc Guilandini animaduersionem plenè nos comprobare posse existimamus. Nam Vergilius celebraturus urbem Romam, non tantùm magnitudine, uerum etiam genere differre eam à cęteris ciuitatibus statuit, & esse uelut
 quen

quendam alterum mundũ, aut quoddam cœlum, in quo Cæſarem Deum uidit. Sic enim ſub perſona Tityri in prima ſtatim Ecloga canit.

Vrbem, quam dicunt Romam, Melibœe putaui
Stultus ego huic noſtræ ſimilem, quo ſæpe ſolemus
Paſtores ouium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hædos
Noram, ſic paruis componere magna ſolebam
Verùm hæc tantū alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta ſolent inter uiburna Cupreſſi.

Quemadmodum autem Roma cõparatur non Mantuę, aut uni alteri alicui ciuitati, ſed omnibus quotquot in toto terrarum ambitu ſparſim collocatæ habentur, ita quoque credere par eſt, eum non uni & ſingulari ſpeciei ſtirpis Cupreſſum contuliſſe, ſed pluribus figura aſpectuque diſtinctis, quę promiſcuè topiariorum uirgultorum inſtar inter Cupreſſos & quaſcunque arbores alias connaſci ſolent. Ineptè.n. & imperitè poëta feciſſet, ſi Cupreſſum uni tantùm ſpeciei plan-

tæ comparauiſſet, quum prius Romam omnibus totius mundi ciuitatibus oppoſuiſſet. Sed enim cum plenũ ſit ingenui pudoris fateri per quẽ profeceris, libet mutuo acceptũ magna cum gratiarum actione reddere Petro Lauredano Veneto, iuueni præter ſummam nobilitatem, multis inſignem imaginibus, doctrina haud quaquam ex triuio, ſed interiore, ac inde admiranda præcipuè, moribuſq; Philoſopho, & eo utique Chriſtiano dignis nulli non fama cognito, qui ſententiam hanc de Maronis Viburno, hauſtam ex Andrea illo Lauredano clariſſimo genitore ſuo, uiro equidem in tãtum laudando, in quantum uirtus intelligi poteſt, atque tam elegantĩ liberaliũ ſtudiorum omniſque doctrinæ et auctori et admiratori, ut hactenus uicies millies numum aureorum in conquirendis antiquitatis ex ære, auro, argento, marmore, gemmiſq; monumentis erogauerit,

ad

ad nos retulit. Verùm ſapit Matthæo lus,qui Strabum et Nemeſianum præ terit,et ſententiam ſuam Ruellii au-ctoritate defenſam iri credit, quan-doet Viurnam Galli, Lantanam Ita-lorum uocare ſoleant. Egregiè me-diusfidius. Ita'ne latina antiqua ex recenti Gallorum idiomate æſtiman-da cenſet? Quid impedit autem quò minus de uetuſto Latii ſermone, ex nouitio & quo hodie Italia utit̃ certi aliquid ſtatuamus? Quod ſi per te ò Matthæole licet (neque verò iniquũ eſt hoc pacto inter nos diſputare,quũ ſummus Ariſtoteles in Topicis hoc ipſum admittat,quando inquit,(ἐ γάρ οἱ γυμναζόμενοι ἀδυνατοῦσιν ἀπέχεσθαι τοῦ διαλέγεσθαι μὴ ἀγωνιστικῶς) Age;Ge niſtæ'ne ſpeciem, quàm tota Cala-bria, & magnus Apuliæ tractus Va-uornam appellat, Viburnum eſſe infi-cias ibis? Atqui planta illa & lenta, flexilis, obſequioſaque eſt,& quod tu permagni referre arbitraris, priſcum

Vi-

Viburni nomen in Italia retinet. Miror profectò te in Epiſtola tua de Bulbocaſtano, Holoconitide & alijs quibuſdam plantis, tam parui feciſſe has vulgares appellationes, quòd (vt tu ais) ignarum vulgus pro ſuo arbitrio non tantùm plantis, ſed aliis etiam innumeris rebus nomenclaturas imponat, cum in Viburni cenſura unicam Gallicam dictionem, Italię peregrinam, imò uerò in ea ſtirpe inauditam, omnibus aliis argumentis anteposuiſſe uidearis. Doctrinã ergo tuã firmis innixam eſſe fundamentis quis credet? Sanè cum Protheum, Vertunnum, Lycaonem, Polypum, Tarandum, & Chamæleontem colorem mutare deſiiſſe intellexero, tunc te quoque conſtare tibi poſſe opinabor.

DEFENSIO PROBLEMA.

IIII. de Rubrica Sinopica & Lénia terra.

QVantum uero ad hoc ipſum attinet

net problema, quicunque Theonem Guilandini legerit atque intellexerit, dicere haud poterit, id quod Matthæolus in sua Epistola Guilandino falsò imponit, Rubricam Sinopicam haudquaquam extra Sinopem reperiri. Idque vt clarum omnibus fiat, quicquid nunc sentiant, idemq; olim senserit, quod constantis animi est indicium, Guilandinus, vt singuli perspiciant, ipsius verba ex suo Theone adscribam potius, quàm quicquam ex meo depromere cerebro velim. Verùm enimuerò, inquit ille, & si in quamplurimis turpiter ipsum halluci natum esse palàm sit, clarissimè tamen error ipsius in Rubrica Sinopica & Lemnia terra elucescit; quãdoquidẽ quẽ officinarum seplasiarij Bolũ Armenum Orientalem vocant, Lemnia terrá non ést, vt ille malè conijcit, sed Rubrica Sinopica, quã ipse falsò Bolum Armenum vulgarem esse decernit. Defertũr namq; terra ea in pre-

ſentem vſque diem, non ex Lemno inſula, quod ipſe perfricto ſatis pudori fronte procaciter nimis clamitat, ſed ex Cappadocia Pōti regione. Teſtes habeo, nō quales ille, ſpectatæ fidei, ſi diis placet, viros, pictorem, ruſticum, & ſe ipſum; ſed nobiliſſimos quoſq; Venetos, qui mercimoniorum quotannis gratia in Cōſtantinopolitanā vrbem nauigant. Hæc ille. Quibus nihil minus, quàm Rubricam Sinopicā nuſquam niſi in Sinope inueniri, aſſeritur. Agricolam verò appellat, & neſcio quos nō mimos mouet Matthęolus, haberi alibi etiam in aurariis, argentariis, ærariis, ferrariiſque metallis, in quib. in Ilua Tyrrheni maris inſula, huiuſce Rubricæ plurimum inuenitur. Quod ſi hoc condonemus & concedamus: Rubrica Sinopica extra Sinopicum agrum habetur; Ergo'ne Bolus Armenus Orientalis Lemnia terra eſt? Minimè gentium. Et nemo nō videt quàm ἀσυλλόγιςος hic

ratiocinādi ſit nexus. Guilandinus Bolum Armenum Orientalem Lemniam terram eſſe negat, quòd non ex Lemno, quemadmodum ille recenter ſuis inſpexit oculis, ſed ex Cappadocia Conſtantinopolim aduehatur: cum verò Sinopis in Cappadocia contineatur, hinc factũ eſt, quod Bolum Armenum Orientalem ab antiquis Rubricam Sinopicam dici ſcribit, ſiquidem & notæ ab antiquis propoſitæ ad vnam omnes Bolo Armeno Orientali conueniant.

DEFENSIO PROBLEMATIS V. de Coſto & Zedoaria.

QVæcunque Matthæolus Zedoariæ ineſſe negat, ea Guilandinus ne Coſto quidem ſuo adeſſe velit. Sed Zedoariam Coſtum Syriacum eſſe ſtatuit, quem Dioſcorides ait grauẽ eſſe, colore buxeum, & odore feriẽtẽ. Cum uerò Matthæolus Coſtum eximia

mia odoris ſuauitate commendari dicit, & Helenij radicibus adulterari, ea ad optimum Coſtum, hoc eſt Arabicum pertinent,non autem ad Syriacum omnium peſſimum, quem Dioſcorides intellexiſſe videtur quando Coſtum qui grauiter olet, reijciendũ eſſe admonet. Præterea Matthæolus non candidè,ſed mutilatè,quæ à Dioſcoride dicuntur proponit,quando ille non ſimpliciter Helenio, cui vegetæ ſunt radices, Coſtũ adulterari ait, ſed Helenij Comageni præduris radicibus, quod quale ſit, fieri facilè põt, cũ Aſiam nunquã viderit,vt Matthęolus ignoret. Quantum enim in ſimplicium medicamentornm ſcientia comparanda momenti habeat ἡ αὐτοψία, Dioſcorides, Galenus,atque ſanæ mentis omnes teſtantur. Quare docti omnes oculatum potius teſtem quam cœcum admittent. Neque alteri qui cum res ipſas non inſpexerit, quòd quædam ignoret,propterea ſuc

cen

censebunt, quandoquidem ut Quintilianus ait, boni quandoque Grammatici est nonnulla ignorare.

DEFENSIO PROBLEMAtis VI. de Saliunca & Nardo Celtico.

VEritatis vt est apud Euripidē simplex est oratio. Nam ex aduerso quoque, qui falsa defendere conātur, nec certam rerum habent scientiam, nunc hoc, nunc illud de eadem re adferūt, atque in sermone titubant. Mihi verò est longè gratissimum, ea ipsa quæ ante aliquot annos in publicum ædidit Guilandinus, cum iis quæ intra parietes hodie mihi familiariter recensuit, penitus congruere, neque quicquam inter se discrepare. Itaq; non abs re fore putaui, si ea quæ aliquando ædidit, vt verum uero esse consonum demonstrarem, ubi opus esse animaduertero, adscribam. Inquit ergo in

in Theone. Verùm uix tempero mi hi in tanta plerunque hominis illius inſcitia, calamo nimis prurientis, quã quam auribus præſtaret, quando Saliuncam & Nardum Celticum diſtinguit, quas nomẽclationes duas, vnius tantùm eſſe ſtirpis nomina, Marcellus antiquus medicus teſtis eſt, Tãetſi amplius in eo ſibi placet, quàm in annulo Polycrates, ut eſt apud Libanium. Saliunca, quam Latinorum Homerus in ruſtico carmine vocat, à cæteris fere Poëtis Adoniũ nuncupatur, à Medicis verò Anemone, Theocrito & Seruio auctoribus. Nec me præterit Plinium inter Saliuncam, Anemonẽ, Nardum Celticum, & Adonium diſtreuiſſe. Sed more ſuo. Et hæc quidem hactenus. De Plinio nunquam dubitaſſe Guilandinũ video, ſed Matthæolus ad Marcellum antiquum illum Medicum nihil, aut certè, non aliud, quàm quod docti Plinio quoque ipſi defuiſſe quæruntur, quem

profectò tenuiorem Marcello plantarum notitiam habuisse credere possumus. Quomodo enim aliter tam fœcunda errorum progenies in rem herbariam, & ipsam adeo naturam à Plinio induci potuisset? An non Græci multas plantas foliis Marrubio similibus scribunt, quas omnes Plinius non Prassio, id est Marrubio, sed Prasso id est Porro folia tradit habere similia? Non'ne Stachyn, Horminon & Balloten foliis porri constare scripsit? Annon Teramon & Ateramon esse nomina herbarum existimauit, quum sint duo leguminum affectus? Imo ipsemet Matthæolus Cistum cũ Hedera confudisse eum fatetur. Præterea Pentaphyllon atque herbam fraga ferentem pro eadẽ accipit, ac Pentaphylli notas simul ac vires eidem herbæ, præter Pentaphylli nomen adscribit: quò fit vt demirari satis nequeam Matthæoli atque Brasauolæ sententiam, quando ille Pentaphyl-
lon

lon,quod fragis gignendis commendatur, Diapensiam esse conijcit, quæ nunquam fraga, sed fragis similem fructum protulit; hic verò Fragum quinque folium esse in Veronensi agro, affirmare non dubitarit. Narrat etiamnum Dioscorides Papauer spumeum habere folium pusillum, Struthio, hoc est Radiculæ simile; quia verò στρουθίον ὑποκοριστικῶς apud Græcos significat etiam passerculum, deceptus nominis ὁμωνυμία Plinins, hanc similitudinem ad auem retulit, foliis inquiens, si procul intuearis, speciem passerum repræsentantibus. Iam verò Mandragoras & Cynoglossas, contra Dioscoridis sententiam, cauligeras facit, & Satyria cum Orchidibus confundit, imò uerò in recensendis Orchidum facultatibus aduersantia sibi scribit: Præterea Lauer à Silao: Silaon à Sio: Loliũ ab Aera: Echion ab Alcibio: Glastum ab Isatide & sexcentas res alias distinguit, quæ æ-

què atque duo eiusdem alitis oua differunt. Non igitur mirum videri debet, eundem Saliuncam à Nardo Celtico separasse, quas nomenclationes duas vnā tātùm stirpē alternare, Dioscorides ex Græcis, & Marcellus ex Latinis iam olim literarū monumentis prodiderunt. Sed Matthæolus vehementius vrget, natali eas solo, viribusque discrepare, & proinde fieri nō posse, eandem esse plantam Saliuncā & Nardum Celticum. Quasi verò necesse fuerit Plinium & Dioscoridē omnes totius orbis angulos enumerare, in quibus vel Saliunca, vel Nardū Celticum nasceretur, & omnes ad hæc illius plantæ facultates ordine recensere, quum bono viro satis esse debuit, nusquam hosce scriptores repugnantia quantum ad hanc stirpem pertinet tradere, sed ne diuersa quidem, quòd Dioscorides Nardū Celticum nasci in Liguriæ Alpibus dicat, ac stomacho vtile esse, Plinius verò Saliun

cam ſtomachum roborare, atq; in Alpium apricis prouenire narret. Vbi nunc Matthæole diuerſi natales? Vbi diſpar virium effectus? Quomodo arreptam ſemel mordicus de Saliunca & Nardo Celtico ſententiam poſt hac tueberis?

DEFENSIO PROBLEMATIS VII. de Tragio & Dictãno albo.

PRæmittã ego Guilandini ex Theone verba, vt palam fiat, quàm probè ſeipſum Matthæolus hoc in loco tutatus ſit. Dignum, inquit, relatu mirè ipſum falli in Dictamno albo & Tragio Cretico, quando plantam primo loco nominatam antiquis ſilentio omiſſam ait, & poſteriorem hodie agnoſci negat. Etenim luce meridiana cõſtat clarius, Tragium Creticum aliud eſſe nihil, quàm quod rudis herbariorum plebecula, cuius ille non in

iuria tropęophoros antesignanusque posthac dicetur, Dictamnum album nuncupat. Neque ipsum ab hac sententia mea reuocare debet, quòd Dioscorides Tragij fructus & folia Lentisco minora tradit, quando non μικρότερα, sed μακρότερα legendū probo, Plinium sequutus, qui illud Terebintho æquale facit; quanquam est vbi & Iunipero simile scribit, librariorum ne iniuria, an sua incuria, haud scio. Hactenus Guilandinus. Quibus addendum nunc putaui vatem fuisse Guilandinum cum μακρότερα ex Plinio substituendum esse censeret, quod ita quoque legatur in antiquissimo Dioscoridis codice, maiusculis literis accuratè admodum ante annos nongentos exarato, quem Constantinopoli religiosè asseruat filius Hammonis Iudæi Medicorum omnium quibus Solymannus vsus est pręstantissimi. Certiores poterunt studiosos facere de eo uolumine Au

gerius Flandrus vir optimarum disciplinarum peritus, & scientia armatæ iuxta atque togatæ militiæ inclytus, qui superioribus proximis annis legati munere de mandato Optimi Ferdinādi Romanorum Imperatoris primi, apud Solymannum defunctus est, & Gulielmus Quacelbenus Medicus, Matthæolo, vt ex epistolis eius colligo, haud ignotus. Quod verò ad Dioscoridem pertinet; Tragium in Creta tantùm nasci dicētem, nulla propemodū redargutione æget, quū videamus Fraxinellam etiam extra Cretam prouenire, esseque Dioscoridis de Tragio dictum non minus falsum quàm ista quoque; Balsamum tantùm in Iudæa & Aegypto haberi: Cassiam iuxta odoriferam Arabiam gigni: Cedrum magnam bacciferam esse: Lemniam terram caprino sanguine permisceri: Dictamnum flore & semine carere: Piperis tria genera ex vna solùm planta decerpi: Spartion

folijs viduum esse etiamsi Matthæolus nescio quid obijciat, quod Spartiō Dioscoridis differre à Sparto Homeri & Plinij nondū didicerit, superque omnia Sparti Hispanici fictitium iconem proponit. Cæterùm Tragio lachrymam eodem modo abstergimus, quo Carlinam à Dioscoride Chamęleōtem album dici credimus, quamuis nullam hactenus Carlina in Italia lachrymam protulisse visa sit: An'ne Cistum ladaniferam quòd nullum in Italia Ladanum reddat, illegitimam esse definiemus? Ea'ne propter Terebinthum esse inficias ibimus, quàm in multis Italię locis nasci videmus, quòd nullam ex se lachrymam mittat? An quia Helenium nō omnibus locis caulem gignit, Helenium esse definit? Phyllitis ne, Epimedion, & Dictamnum, quia iam caules, flores, & semina protulisse visa sunt, genuina Dioscoridis esse non possunt? At quid illud est quod singulis

gulis fermè paginis inculcat Theophrastus, loca magnam differentiam, & maximè propriam plantarum constituere? Profectò eiusmodi quid & Tragio extra Cretam nascenti posse contingere, ideo minus demirari debemus, quòd ne Balsami quidem arbustum in felici Arabia genitum, nisi in Aegyptũ deferatur et putei vnius aqua quotidie rigetur, Opobalsamũ fundere soleat.

DEFENSIO PROBLEMATIS VIII. de Cneoro.

MVlta sunt quæ sententiam Matthæoli de Cneoro infringunt, quòd nullis rationibus euidentius probari posse puto, quàm ipsiusmet Dioscoridis & Theophrasti auctoritate, cui ille inniti quàm maximè videtur. Neque enim Cneorum inter adulterinas solùm apud Dioscoridem nomenclaturas legitur, quemadmodum Matthæo-

thæolus pre nimia, qua ferè dissilit iracundia, commentari fuit ausus: neq; ẽt verba Theophrasti de vtroq; Cneoro, & Dioscoridis de Chamælæa & Thymelæa adeo longè inter se dissident, quin ambos de ijsdem loquutos esse plantis docere queant. Primùm cum Dioscoridi probè perspectum esset, Medicos non solùm Thymelææ fructibus, uerùm etiam folijs vti consuesse, quemadmodũ errorem illorum, qui arbitrabantur Coccum gnidiũ Chamælæę fructũ esse, reiecit, ita quoque Cneorum Thymelææ folia proprie dici circa capitis ipsius umbilicum adnotauit. Quæ uerba si Mathæolo, eò præsertim in loco, adulterina uidentur, quid uetat, quò minus eadem temeritate Galeni, Aretęi, Plinii & Aëtii scripta uel mendosa esse dicat, uel errasse eos statuat, qñ Chamælæam & Thymelæam Cneorum appellari suis scriptis posteritati commendasse legimus. Sed uideamus

quam

quàm ſtrenuè ipſe ex Theophraſti pla
citis aduerſus Guilandinum pugnet.
Δύο δὲ εἴδη, φησὶ, τοῦ κνεώρου. ὁ μὲν γὰρ
λευκὸς; ὁ δὲ μέλας. ἔχει δ' ὁ μὲν λευκὸς
τὸ φύλλον δερματῶδες, πρόμηκες, ὁμοι-
όσχημον τρόπον τινὰ τῇ ἐλαίᾳ. ὁ δὲ μέλας,
οἷον ἡ μυρίνη, σαρκῶδες. ἐπίγειος δὲ μᾶλ-
λον ὁ λευκός. ἔστι δὲ ὀσμώδης. ὁ δὲ μέ-
λας ἄοσμος. τὴν δὲ ῥίζαν τὴν εἰς βάθος
ἄμφω μεγάλην ἔχουσι, καὶ τοὺς ἀκρέμονας
πολλοὺς, καὶ παχεῖς, καὶ ξυλώδεις ἀπ'
αὐτῆς τῆς γῆς, ἢ μικρὸν ἄνω σχιζομένους. ξυ-
λωδέστατον δὲ, γλίσχρον δὲ σφόδρα; διὸ καὶ
χρῶνται πρὸς τὸ καταδεῖν, καὶ περιλαμβά
νειν, ὥσπερ τῷ σχοίνῳ. βλαστάνει δὲ καὶ ἀν-
θεῖ μετ' ἰσημερίαν μετοπωρινὴν, καὶ ἀνθεῖ
πολλὴν χρόνον. Hæc Theophraſtus.
Quibus ſi conferant quæ à Dioſcori
de de Chamælæa & Thimelæa prodi
ta ſunt, tantùm abeſt vt quatuor eſſe
plantas conuincant, vt manifeſtè etiã
coarguant Cneorum album Chamæ-
læam eſſe; Thymelæã verò Cneorum
nigrũ appellari. Quid enim? Annon
Dio-

Dioscorides Chamælææ folium Oleæ comparauit ? Cum namque Theophrastus Cneori albi folium δερματῶδες esse ait, quid aliud intellexisse potuit, quàm quod Dioscorides λεπτότερον dixit ? Sic cum Dioscorides scribit Thymelææ folium, simile esse Chamælææ πλὴν στενώτερον καὶ λιπαρώτερον, non'ne rectè fecisse Theophrastus videtur, qui Cneori nigri foliũ σαρκῶδες esse inquit, & μυρίνῃ, hoc est Myrto simile ? quanquam Matthæolus ex versione Gazæ μυρίκῃ, id est Tamarici similius folium, non μυρίνῃ, id est Myrto legat, quod minus probat Guilandinus Hermolai, Ruellij, & codicum veterum fretus auctoritate. Non'ne idem Hermolaus quo secundum Plinium doctiorem extitisse in naturali historia aliquem negant eruditi, adnotauit Chamælææ folia nõnullos ex auctoribus odorata fecisse ? Sed admittamus nullam iucundi odoris suauitatem ex Chamæ-

lææ

læę folis exhalare; Ergo'ne Cneorum albũ à Chamælæa differens erit? Atqui Theophraſtus Cneori albi folia neque εὐώδη, neque κακώδη eſſe narrat, ſed tantùm ὀσμώδη, quod Guilandinus permagni referre arbitratur, adeo vt totius rei ſummam in hoc ferè verti putet, quòd odor ille, neque pro iucundo, ſuaui'ue, neque pro fœtente, viroſo, graui'ue, ſed pro mixto & ſui generis odore accipi debeat; & ſi non negauerit reperiri apud Theophraſtum ὀσμῶδες pro εὐῶδες poſitum eſſe, ſiquidem & pro βρομῶδες accepiſſe eum ὀσμῶδες obſeruauit. Ad ſummã ὀσμώδη à Græcis dici animaduertit, quæ Latini olida vocauerunt, quę tam bonum quàm malum odorem habere poſſunt. Quæ ſi Mat thæolo explorata fuiſſent, nunquam profectò contra communem grauiſſimorum auctorum ſententiam Galeni nimirum, Dioſcoridis, Plinij, Aretæi, Aëtij, Hermolai, Ruellij, Marcelli, &

Ma-

Marantæ diſcrimen aliqđ inter Cneoīra Teophraſti, & Thymelæam Chamælæamq́ue Dioſcoridis ſtatuere aggreſſus fuiſſet. Eſt namque Chamælæa (vti Matthæolus ipſemet fatetur) olida, bis anno floret, Vere & Autumno; imò autumno florere incipit, nec ante initium futuræ æſtatis deſinit: magis eſt quàm Thymelæa ἐπίγειος; quæ dictio non ita ſonat, vt Matthæolus præpoſterè intelligit, ac ſi Cneorum album humi in totũ repat, ſed cum ſit ſuperficies eius multò quàm nigri Cneroi humilior, ideo ἐπίγειος eſſe dicitur, hoc eſt telluri vicinior magisq́ue terreſtris: quod explanans Dioſcorides, ramulos inquit habere σπιθαμιαίους, ſiquidem Thymelæa, ut idem ait, ῥάβδους ἀνίησι καλὰς καὶ πολλὰς ὅσον δίπήχεις: ſarmenta habet inſtar geniſtæ lenta, tenacia, inq́ue omne latus flexilia: radicem neque paruam, neque ſumma tellure ſparſam, ſi totam accuratè plantam intuearis, &

æqua omnes eius partes lance metia-
ris. Cæterùm quia reliqua, quæ his
adiungi debent quiuis per ſeipſum
ex iam dictis colligere poteſt, ſuper-
uacaneum eſſe arbitror, pari ratione
demonſtrare Cneorum nigrum Thy-
melæam eſſe, ſiquidem hanc altius à
terra Chamælæa attolli, eodem cum
ea tempore florere, lentam & flexuo-
ſam eſſe, & nihil non obtinere, quod
Dioſcorides & Theophraſtus expreſ-
ſerunt, notius eſſe peritis exiſtimo,
quàm vt pluribus adſtruere habeam
neceſſe. Illud in tranſitu notauerim,
quod quemadmodum Græci Cneo-
rum albi nigrique diſcrimine ſepara-
runt, ita quoque Mauritanæ factio-
nis ſcriptores Mezereon, quod Cha-
mælæam & Thymelæam eſſe conſtat,
in candidum atrumque diuiſerunt,
imò verò & Dioſcorides ipſe Chamę
læam, albam nigramque feciſſe vide-
tur, quando Thymelæam vocari Cha
mælæam ait, & quæ propriè Chamæ-
læa

læa eſt,nigra vocis adiectione nuncupauit. Sed ne id quidem ſilentio prætereundum eſſe duxi, falli Plinium & ſectatorem eius Gazam, qui Coccum gnidium ſiſtere aluũ apud Theophraſtum verterunt, cum contrariam ei in eſſe potentiã & Theophraſtus,& Dioſcorides, & tota deniq; Medicorum ſchola atteſtentur.

DEFENSIO IX. ET X. Problematum de Limonio, Behenrubro, & Sabina.

QVemadmodum oleum Ancharſis Scytha inſaniæ pharmacum eſſe dicebat,quoniã eo peruncti Athletæ inuicẽ magis inſanirent: Sic Theonẽ Matthæolo plenioris delirii cãm extitiſſe apparet, quòd ex quo Centum illius problematibus leniter ablutus fuiſſet, tantùm equidem inſanire cœpit, vt velut œſtro percitus,nunquam inſa-

ſaniēdi finem facturus eſſe videatur. Quid enim? An non errorem ſuum in Limonio ipſemet, vt par eſt, fatetur? Sed cur. Guilandino quod nunquam dixit, imponit? Ab hoc, inquit ille, haud ita diſparatum illud quoq; quando pro Limonio inſciè, uel certè doloſè, Behen rubrum officinarum pingit: atque rurſus Betam ſylueſtrem malè Herbarijs cū Galeno contra Plinij exiſtimationem ſubtrahere cupit, quum contra non Plinius, ſed ipſe & Galenus negligentiæ inſcitiæque accuſandi ſint, qui Betam ſylueſtrem apud Dioſcoridem nondum deprehenderint. Miror profectò miror tam celebrem Dioſcoridis interpretem, qualem ille ſe eſſe iactitat, Betam ſylueſtrem in eo auctore hactenus nō legiſſe. Hæc Guilandinus. Quæ ſi Matthæolus tranquillo pacatoq; animo perlegiſſet, nec limis atque retortis oculis inſpexiſſet, haud eſſet hodie quod quærerentur eruditi ſcriptis

ipsius passim Tantali hortos subesse, qui sicuti ab Homero proditum est, speciem quidem præferunt aliquam, quum tamen sint nihil. Quare consultum esset Matthæolo, ut meliora posthac loquatur, neque offensior & perturbatior paulò procacius Guilandinum proscindat: quanquam iam rectè fecisse videtur, qui in posteriore ad Cratonem epistola recantauerit, quando ait: In Limonio fateor errorem, sed non mireris mi Crato: non enim poteram nasum à tam fœtida latrina, quam olet Guilandini Theon auertere, quò minus etiam oculos retorquerem, quò postea factum est, ut legendo sim hallucinatus. Dij boni quot simulationum inuolucris tegitur & quasi uelis quibusdam obtenditur vniuscuiusque natura. Notissima est ad hoc præcipuè spectans M. Tullii sententia: Frons, oculi, uultus persæpe mentiuntur, oratio autem sæpissime. Neque tempestatis nostræ

pra-

prauitatem nunc discutio Matthæole, qua omne in præcipiti uitiũ stetit, sed tua tantum decreta retexere animus est. Bacciferam Sabinam ais, si nunquam uidit, tam summus plantarum indagator cur Fuchsium & Matthæolum reprehendit? Matthæolum scio ego è baccifero ramo suam appinxisse Sabinam, nec uereor quin etiam Fuchsius suam quoque ex uiua planta deliniari currauerit. Sed huius tã seueri rhizotomi cẽsurã, inanẽ infirmã que pronunciant Auicenna, ac etiam Serapio, qui de Sabinæ baccis apertissimè meminere, & in medicũ usum uertere. Verùm nihil mihi attulisse uidetur Matthæolus hoc in loco, qđ Guilandinus non multò ante in Theone suo circumscripserit, iis uerbis. Ceterùm Sabinam, quam ego cum Plinio sterilem esse auguror, ipse fructiferam cum Fuchsio pingit: quãquam me non præterit Arabum ea in re sententia. Vide quot mysteria Guilan-

dinus arctiſſimis uerbis ex more ſuo concluſerit . Sabinam fructiferam eſſe negat ductus auctoritate & experientia quam rerum magiſtram appellamus,neque tamen interim ignoraſſe ſe aliter ſentire Mauritanæ factionis ſcriptores demonſtrat. Matthæolus verò Plinii nomen tempeſtiuè prębterit, & ſententiam ſuam Auicēnæ & Serapionis auctoritate ſtabilire conatur,ac ſi non apertiſſimè Serapio, quē ille errori ſuo patrocinari putat, ſterilem eſſe Sabinam & omni fructu carentem Capite CCLXXX. ſimplicis medicinæ ſcripſerit. Abhel, id eſt Sabina,inquit,quæ & Brathys dicitur,non habet fructum. His calculum adiiciunt quotidiana experientia,& Plinii teſtimonium,quibus Sabinam ſemine carere liquidò comprobatur. Plinii uerba ſunt hæc libro XVII.naturalis hiſtoriæ Capite XIII. Sabina herba propagine ſeritur & auulſione. Iiſdem modis Roſmarinum

ferunt & ramo,quoniã neutri femen. Iam uerò Sabinam nullũ unquam fructum expulisse,norunt omnes qui ueram legitimamque Sabinam terræ hærentem obseruarunt. Reliquum est, ut quæ ab Auicenna de Sabina dicuntur pari grauitate expendamus,quem profectò tantùm abest ut fructiferam eam esse asseruisse sentiamus, ut contra etiam affirmare non dubitemus, nusquam id apud illum toto suo uolumine legi. Quod aũt Matthęolo apud ipsum imposuisse uidetur,illud est,qđ cum Sabinam à Mauritanis Abhel uocari apud Serapionem legisset,& Auicennam Abhel,fructum Alharar definiuisse obseruasset, Alharar idem esse quod Abhel ratus, Sabinam de Auicennæ sententia fructiferam esse uoluit. Verùm Auicenna Abhel,inquit, fructus est Alharar, similis Alzarur, hoc est Abhel fructus est Iuniperi, similis mespilo. Cum uerò paulò post Abhel duo fastigia constituit,non sa-

nè iuniperum describit, quam alibi sub nomine Harar, in magnam & paruam distinguit, sed utramque Sabinã cum Abhel confundit, haud secus atque Capite DCLXVI. Scheam quoque, hoc est Abrotanum, uel certè Absinthium aliquod rursus cum duabus Sabinæ generibus graui & pudendo errore permiscet. In similem huic lapsum Serapionem incidisse palã est, quem Matthæolus quoque in Mespilorũ historia adnotauit, quòd Sorbi titulo auctor ille, omnia referat, quæ de utroque Mespilorum genere scripsit Dioscorides. Præterea si Abhel Sabinę fructus esset, turpiter admodũ semetipsum Auicenna dedisset, qui idem per idem definire instituisset, nõ aliter quam si rogatus Philosophus aliquis, homo quid esset, hominẽ per hominẽ definiens hominẽ esse respondisset, quod vel rusticus quærenti indicasset. Sed dicam nunc ipse in studiosorum rei medicæ gratiam, quod

Guilādinus nuper in Syria, Aegypto & Arabia adnotauit, ac Bellunenſis quoque alicubi literis commendauit: Abhel fructum eſſe in toto oriente notiſſimum, pilularum Cupreſſi magnitudine, colore rufo in nigrum decliui, qui ex arbore ſui generis Cupreſſo ſimillima decerpitur. Vis ei eliciendi menſtrua & fœtus e mortuos ex vtero eiiciēdi longè omnium opinione Aſiaticorum hominum validiſſima. Arbor ea an priſcis Græciæ, Italiæque ſcriptoribus innotuiſſet rogatus ſententiam Guilandinus reſpondit. Ni Θεῖον, vel Θύον, vel Θύα, Trogetes, Citrus, & Cedrus arbor ab Homero, Theophraſto, Iohanne Theologo, Dioſcoride, Strabone, Plinio, Martiale, & Dione hiſtorico appelletur, nihil ſe porrò de ea exploratum habere. Eſt namque Thya, vt Theophraſtus ait libro de hiſtoria plantarum V. forma Cupreſſo ſimilis cum ramis, tum foliis, caudice fructuque, vel potius

ceu Cupressus sylue ſtris ; quæ notæ omnes Abhel hodie in Oriēte appellatæ ad vnguem conueniunt. Sed quia nihil tam arcanum reconditumque habemus, quin illud publici cōmodi gratia omnibus perspectum esse velimus, age liberaliter pro animi nostri beneuolentia Matthæolo condonemus, scripsisse Serapionem & Auicennam Abhel fructum esse Sabinæ, quod neuter illorum dixit, ea'ne propter Sabinam fructum ferre abundè satis demonstratum esse concludemus? Atqui Serapio & Auicenna nō minus in agnoscendis Dioscoridis cæterorumque Græcorum plantis, quàm nos hodie decipi potuerunt, ꝙ ipsum tam firmum ratumque heberi volumus, quàm quod verissimum, firmissimumq; & maximè certum, quando id sollicitius & anxia curiosaque admodum indagine ab accerrimis rerum earum indagatoribus, superioribus proximis annis in Oriente, vbi
adhuc

adhuc illæsum incorruptumq́ue Arabicum idioma durat deprehensum esse sciamus. Non'ne Serapio Berberi describturus Dioscoridis nomen verbaq; producit? quod tamen ei nunquam innotuisse adeo clarum est, vt nulla propemodum ægeat comprobatione. Nam cum vulgare Italorum Crispinum legitimũ esse Mauritanorum Berberi totus vna voce Oriens vnanimiter clamitet, vbi in pręsentẽ vsque diem antiquum Amirbaris nomen conseruat, quomodo quæso Berberi Arabũ à Græcis Oxyacantham vocari dicemus, quum vulgare Italorum Crispinum, quod tota Arabia Amirbaris nuncupat, notis omnibus ab Oxyacantha diffideat? Nihil est Damasci, Tripoli & Beryti serapiis de Ribes & Amirbaris notius; quorum alterum parari ex planta sui generis, quæ copiosè in Libano, Antilibano, Sina, & Carmelo nascitur, alterum ex fructibus vulgaris Ita

lorum

lorum Crispini, norunt quicunque curiosi naturæ rerũ scrutatores ijs in locis fuerunt. Præterea describit Serapio Molochiam, id est Atriplicem marinum ex Dioscoridis decretis, quum quã hodie Babylon Aegiptiaca (quam Cayrum esse inuincibili contra Sabellicum & Iouium argumento demonstrare possemus, nisi aliud hic ageremus) Molochiam nominat, quæque in manuales fasciculos colligata publicè etiamnum in omnibus vrbis plateis venit, tantum equidem ab Halimo distet, quantm Morus ab Olea. Quid dicam de Cubebis? Non'ne Serapionem perperam Dioscoridis testimonio ibi vti Matthæolus quoque ex aliorum scriptis in Commẽtarios suos transfudit? Cæterùm Molochiam, Acaciam, Bamiam, Nil, ex quo Indicum & stirpes alias peregrinas non paucas, primus omnium ex Aegypto in Italiam transmisit Guilandinus, quæ omnes hactenus Pata-

uij

uij coaluerunt in amœnissimis virida rijs Magnificorum & generosorum nec vnquã satis laudatorum virorum Philippi Pasqualigi & Laurentii Prio li Patriciorum Venetorum, qui intol lerabiles sumptus in conquirendis in tota Asia & Africa stirpibus faciunt. Quę omnia hucusque à nobis comme morata euidentis argumenti loco accipi possent, etiamsi Auicenna & Serapio Abhel Sabinæ fructum esse pro nunciassent, quod nõ fecerũt, longius eos à veritatis agnitione desciuisse, ꝙ vniuersus hodiæ Oriens arborem toto cœlo ab vtraque Sabina disparatã Abhel appellare soleat. Quod si verò quispiam amplius adstruere secus adnitatur, sciat esse apud Euripidem, μωρὰ γὰρ μωρὸς λέγει.

DEFENSIO PROBLEMATIS XI. de Cedro.

MIrari succurrit quandoque quàm

mira

mira hominum ingenia effinxerit sæpe natura parens, nec ad solertiam tantùm ingenii nunc respectamus, qua nonnulli Elephantum ex musca facere solent, arcem ex cloaca, & lapidem è sepulchro venerari pro deo, rẽ haud ita magnam plurimi facientes, amplexantes, in oculis ferentes, ac mirantes, verùm quæ auctores non postremæ classis summa fide, quòd inter cognitores versentur prodenda censuere. Iam ad stuporem vsque, inquit Matthæolus, huiusce calumniatoris insolentiam, infidelitatemque demiror, quod mentiri nõ erubescat, scripsisse me Cedrum magnam bacciferam esse arborem. Hominis tam procacis mendacium deprehendunt, qui mea legerunt in Dioscoridem cõmentaria. Hæc sunt Matthæoli verba, quibus vt par erat non tam acerbè & hostiliter respondẽdum est, ne nobis idem, quod illi ipsi eueniat, vt dum criminando totus est occupatus, sua
non

non ſatis bene ſtabilire poſſit dogmata. Tam enim frigidè hoc loco ſuam tutatus eſt ſententiam vt quàm frigidiſſimè. Non'ne cũ Dioſcorides Cedrũ magnã bacciferam facit, ipſe pro Cedro plantã bacciferã per ſubiectũ oculis iconem proponit? Sed dicet Cedrum minorem,non maiorem eam eſſe,quam ille baccis onuſtam depingit. Quaſi verò Cedrus Phœnicia minoris Cedri genus ſit, quam maiori Cedro eſſe adſcribendam liquidò Dioſcoridis teſtimonio contra quàm cenſet Plinius, cõprobatur. Etenim Dioſcorides Cedrum magnam baccas myrti magnitudine ferre ait,quam notam Plinius libro XIII.naturalis hiſtoriȩ Capite V. falsò minori Cedro reddidit, cumq́ue maioris Cedri eodem loco duo faſtigia proponit, non maiorem Cedrum,ſed minorem,imò ne Cedrum quidem, ſed Iuniperum attingit, cui ſanè Iunipero notas illas omnes à Plinio Cedro maiori ibi red

ditas,

ditas, Theophrastus libro de historia plantarum III. Capite VI. assignat, qui etiam Iuniperum eodem libro Capite XII. Cedrum vocari ait, vnde Plinii errorem profluxisse dubiũ non est.

Sed præstat vtriusque auctoris verba subscribere, quo curiosus lector sine vlla ambigui alicuius scrupuli mora veriorem protinus sententiam amplecti queat. Iuniperi similem habent Phœnices, Plinius scribit, & Cedrum minorem. Duo eius genera. Lycia & Phœnicia. Differunt folio. Nam quæ durum, acutum, spinosum habet Oxycedrus vocatur, ramosa & nodis infesta. Altera odore præstat. Fructũ ferunt Myrti magnitudine, dulcem sapore. Et maioris Cedri duo genera. Quæ floret, fructum non fert. Fructifera non floret, & in ea antecedentem fructum occupat nouus. Semen ei Cupresso simile. Quidam Cedrelaten vocant. Ex hac resina laudatissima. Hactenus ille. Quæ si ad Theophra-

phrasti lucernam excutiamus, vnde ista Plinium accepisse videmus, luce fulgenti innotescit clarius, miscuisse eum quæ Iunipero debebantur, Cedro: & quę Cedro, Iunipero tribuisse. Ἔνιοι δὲ, φησὶ, τὰς ἀρκεύθους δύο εἶναι φασίν· καὶ τὴν μὲν ἑτέραν ἀνθεῖν μὲν, ἄκαρπον δὲ εἶναι· τὴν δὲ ἑτέραν οὐκ ἀνθεῖν μὲν, καρπὸν δὲ φέρειν εὐθὺς προφαινόμενον, ὥσπερ καὶ τὰς συκᾶς τὰ ἐρινεά. συμβαίνει σχεδὸν, ὥστε ἐπὶ δύο ἔτη τὸν καρπὸν ἔχει μόνον τοῦτο τὸ δένδρον. περικαταλαμβάνει γὰρ ὁ νέος τὸν περυσινόν. De Cedro autem Capite XII. eodem quem supra indicauimus libro, in hanc ferè sententiam disserit. Κέδρον δὲ οἱ μὲν φασὶν εἶναι διττὴν, τὴν μὲν λυκίαν, τὴν δὲ φοινικὴν. οἱ δὲ μονοειδῆ, καθάπερ οἱ ἐν τῇ Ἴδῃ· παρόμοιον δὲ τῇ ἀρκεύθῳ. διαφέρει δὲ μάλιστα τῷ φύλλῳ· τὸ μὲν γὰρ τῆς κέδρου σκληρὸν, καὶ ὀξὺ, καὶ ἀκανθῶδες· τὸ δὲ τῆς ἀρκεύθου, μαλακώτερον. δοκεῖ δὲ καὶ ὑψηλοφυέστερον εἶναι ἡ ἄρκευθος. οὐ μὴν ἀλλ' ἔνιοί γε οὐ διαιροῦσι τοῖς ὀνόμασιν,

ἀλλ'

ἀλλ᾽ ἄμφω καλοῦσι κέδρυς, πλὴν παρασήμως, κέδρον ὀξύκεδρον. ὄζώδη δ᾽ ἄμφω, καὶ πολυμάσχαλα, καὶ ἐπεστραμμένα ἔχοντα τὰ ξύλα. μᾶλλον δ᾽ ἡ μὲν ἄρκευθος ἔχει μικρὰν, καὶ πυκνὴν, καὶ ὅταν κοπῇ ταχὺ σηπομένην. Ex his itaque verbis palam eſt confudiſſe Plinium duarum plantarum Cedri & Iuniperi notas, idq; nullo alio argumento, quàm quòd Iuniperum à Græcis Cedrum quoque dici apud Theophraſtum legiſſet, & quæ propriè Cedrus erat, ἄρκευθον, id eſt Iuniperum etiam ab iiſdem vocari in Theriacis Nicandri inueniſſet. Verſiculus eius hic eſt: μηδέ σέγε χραίσμη πολίου λάθοι ἠὲ κέδροιο ἀρκευθίς, hoc eſt, Nec te remediū lateat Polii herbæ, aut Cedri arceuthis: quæ uox in communi ſignificationis æſtimatione, Iuniperi bacca nunc eſt, & nihilominus ille cum Cedrum dixiſſet, à Iuniperi appellatione baccam intulit, quam κεδρίδα dicturus erat. Quò fit ut pro comperto habendum

ſit,

ſit, Cedrum, Iuniperumque mutua inuicem appellatione quondam dici & ſignificari ſolitas: quod eiuſdẽ Ni cãdri antiquus interpres teſtatus eſt, dicens ἀρκευθὶν uocari fructum Cedri, quoniam & arbor ipſa ἄρκευθος dicatur: qua uoce poſteriores in Iunipero tantùm uſi ſunt. Proinde mirum minus uideri debet, & Theodorũ illum Gazam eruditiſſimum hominem, cuius nunquam ſine laudis præfatione meminiſſe debeo, κέδρον apud Ariſto telem libro de hiſtoria animaliũ VII. Capite III. & Theophraſtũ libro III. de Cauſis plantarum, Capite XXIII. Iuniperum conuertiſſe. Cæterùm ut Plinius Cedrum in magnam & paruã diuideret, quod neminem ex Græcis Plinio antiquiorem, cuius monumen ta ad noſtram ætatem peruenerunt fe ciſſe cõſtat, in cauſa fuit uel quia Dio ſcorides Iuniperum in magnã & paruam diſcreuit, uel quia alius quiſpiã Plinio uetuſtior, Cedrum, quæ Iuni-

perus erat, eadem differentia maioris & minoris separauit. Nam qui Cedrum propriè dictam ante Galenum in magnam & paruam diremerit, igno ramus, & si eundem Galenum in Hippocedro seu Cedro magna ijsdem erroribus in quos Dioscorides prolapsus ẽ, implicitũ esse uideamus, & Iuniperos Dioscoridis nihil à Cedris Theophrasti differre putemus. Illud obiter adiecerimus, longum illud & conuitiis refertissimum corollarium epistolę Matthęoli de Larice ad Vlyssem Aldrouandum uirum sedulitate, doctrina, & humanitate nulli secundum aduersus Guilandinum adnexũ, cum tamen hactenus nullum ex argumentis eius diluerit, & omnia insuper quæ ibi de Larice proponit ex Bellonii libello de resiniferis arboribus desumpserit, parum Guilandini existimationi apud p̃stantissimos quosque obfuisse, sed potius acerbum & iracundum Matthæoli animum omnibus do

ctis

ctis ad uiuum depinxisse, quemadmodum etiam illud in Epistola ad Cratonem, quando gloriatur se effecturum ut Guilandinus uix pedē in Europa possit sistere. Rectè diuina prouidentia factum est, eius ingenij & naturæ homines, non Principes, non Reges, non Imperatores natos esse, alioquin multorum innocentia grauiter periclitaretur, & orbis terrarū in tanta sæuitia & atrocitate diutius stare non posset. Nunc uerò sapientes & docti omnes hisce conuitijs & furori appositè respondent, Vanam sine uiribus iram. Sed ut redeat eò unde digressa est mea oratio, Hippocedrum sanè seu Cedrum magnam Græcorum Guilandinus Laricē esse Latinorum etiamnum sentit: sed an Cedrus cuius mentio habetur in sacris literis Larix sit, rursus hæret. Nascuntur enim hodie in Libano monte Larix, Abies, Pinus, & omnes fermè resiniferæ arbores, cumque ijs sui generis arbor

nobilis, quæ nusquam in Europa prouenit; quam qui Christum in Iudæa & Syria uenerantur, Cedrum appellant. Vt tamen hanc Christianorum in Syria Cedrum, eandem esse cum Hebræorum Cedro Guilandinus crēdat, multa sunt quæ fidem faciunt, sed ego ea libens prætereo, quòd alium locum scriptoremque postulent, quã-do quoque uideam, hanc ipsam Hebræorum Cedrum Græcos non rarò cum sua Hippocedro, hoc est Larice confudisse. Sed Matthæolus de Cedro Libani non satis perspicuè nos docere potuit, cum ignoret Laricem, Abietem, & cæteras resiniferas arbores præter eam, quam peregrè in Iudæam abeuntes ad nos afferunt, copiosè in Libano nasci.

DEFENSIO PROBLEMAtis XII. de Cõsiligine.

SI summo conatu enitendum esse gra-

grauissimi quique uiri decreuerunt, ut ex nostris studijs ad proximum quàm uberrimus redundet fructus, facilè in animum induco meũ,æquiores rerum æstimatores benè precari Guilandino, cuius uniuersum studiũ eò tendit,ut dum uiuit, operosas uigilias arduosque subeat labores, quibus animum non solùm magis expolitum excultumque sibi comparet, et eruditiores quàm plurimos faciat,sed etiam ut posteris paratam absolutam que herbarum scientiæ syluam relinquat,quæ præter nouitia neque hactenus ab aliis deprehẽsa, habebit quicquid tota antiquitas sparsim de plantis prodendum censuit. Quod ipsum si ex sola Theonis & Epistolarum suarum æditione cognouerunt multi,certè mox id maximè testabuntur grati homines, ubi integros peregrinationum suarum commentarios conspexerint. Cui quidem operi ut maturè manum admoueat, ideo eum uehe-

mentius vrgere debemus, quòd & si ætate viriumque robore præstet, humanitus tamen aliquid etiam robustissimis quibusque corporibus quotidie euenire videmus, & nulli tenacē adeo memoriā à natura cōcessam credimus, vt nobilissimas res vix semel uisas & numero infinitas nulla vnquā obliuione cōmaculare queat. Quod sanè eò molestius ferendum esse putamus, quòd Guilandino vniuersum hodeporici sui commentarium intercidisse sciamus, cum perfidia pyratarum Iuliocæsariensiū terribili æneorum tormentorum boatu supra Caralitanum Sardiniæ promōtorium quateretur, & post longū ancepsque certamen deditione per vim facta mancipium in Numidiam primò, deinde verò in Mauritaniā Cæsariēsem ad Assanum Hariadeni Barbarossæ filiū Algerii Regem abduceretur, atque iniquæ sortis in transuectione ludibrium ferreis cathenis ad triremium trāstra alli

liga-

gatus, aliquot diebus infracto animo ſuſtineret. Sed benè habent omnia quando Guilandinum reſtitutum nobis videmus, quem cum nos de quadriēnali Matthęoli ſilentio certiorem feciſſemus, ille ſubridens, nihil minus quàm centum Theonis problemata dilui poſſe, reſpondit, quòd veritatę nihil firmius ſtabiliusque in hoc mundo habeamus. Etſi autem Matthæolus ſalsè & argumentoſe ad problema de Conſiligine reſpondiſſe videatur, ſi tamē rigidiore ſupercilio argumenta, quæ per iracundiam effudit, inſpiciantur, nihil aliud probare deprehenduntur, quàm decreuiſſe eum veritati aſſurgere nolle, et quam ſemel apprehendit ſententiam minimè dedoceri velle. Turpe profectò eſſe, Guilādinus ſcribit, nouitio iſti rhizotomo neminem inficias iturū arbitror, Conſiliginem à Græcis Helleborum candidum dici, nondum cognoſcenti, collatis præſertim Vegetii, Apſyrti,

Columellæ, et Plinii uerbis. At Mat thæolus graui se traiectum conto sentiens, cum Guilandini verba vel non intelligeret, vel quomodo inter se scripta auctorum conferenda essent ignoraret, in hunc ferè modum Tragici cuiusdam histrionis more exclamat. Qiud dicam etiam de huiusce blateronis in Cõsiligine censura, vbi mentiri tam temerè audet? Inquit enim, quinimo etiam affirmat Plinio, Columellæ, Vegetio, Apsyrtoque Veratrum album Consiliginem vocari, cum tamen horũ nemo id vllibi scribat. Consiliginis radicem inquit Plinius deploratis in Phthisi præstantissimum esse medicamentum, sed bibi debere ex aqua, haberique assiduè sub lingua. Vbi autem legerit nouus hic Aesculapius albo veratro curari posse phthisicos, subdique id Glycyrrhizæ vice sub lingua recitet is inter cætera, quæ refert deliramenta. Lætetur futura posteritas tantum se me-

dicum

dicum habitura, qui hac Consiligine tabidos ab inferis reuocet ad vitam. Hæc Matthæolus. Qui si tantùm doctrina polleret, quantùm maledicentia cæteros antecellit, potuisset profectò ex tam paucis & planis Guilandini verbis cognoscere, haudquaquam eum Consiliginem Latinorũ expresse à Græcis Helleborũ vocari de sententia Plinii, Columellæ, Vegetii & Apsyrti statuisse, sed quòd cum Apsyrtus & Hierocles Gręci, eundem penitus proponant Hellebori candidi vsum, quem Consiliginis Latini, ideo collatis auctorum verbis Consiliginem à Græcis Hellebori albi nomine contineri, non omnino ineptè coniecisse. Qua de re ne cuiquam posthac dubitandi locus relinquatur, operæpretium nos facturos arbitramur, vt auctorum vtriusque linguæ verba, vnde id eruitur subscribamus. Morborum, inquit Vegetius libro primo Artis veterrinariæ, diuersæ sunt passio-

ſiones,ſed vno generali vocabulo cō tinentur, quod ab antiquis Malleus nominatum eſt,ipſa appellatione vim cladis periculumq; teſtantibus. Sunt autem ſpecies Mallei; Humidus; Aridus; Articularis; Subtercutaneus.Humidus morbus eſt,cui de naribus pro mucis humor defluit malè olens, & ſpiſſus, collore pallido. Huius grauatur caput,oculi lachrymantur, & ſtridet pectus,fit gracilis horrentibus pilis,triſtis aſpectu. Aridus autem morbus his agnoſcitur ſignis. Nullus ei per nares ſupra ſolitū humor emanat, ſuſpirat tamē grauiter,& nares habet extenſas,ilia curuabit intrinſecus, & contractionem ſpinæ duritiemque patietur. Teſticuli eius ita ſubſtringūntur vt apparere vix poſſint, cibi parcior,bibendi appetentior vltra morē. Propter quod pulmone ſiccato patitur ardorem, tenſis oculis in obliquū reſpicit, nec facilè cacabit. Hunc SVSPIRIVM vocant & inſanabilem

bilem, niſi ab initio feſtina curatione ſubueneris. Articularis autẽ morbus, quem ἀρθρῖτιν Græci vocant, difficul ter curatur. Interdum paucis, interdum pluribus diebus ab articulis clau dicabit, vt aut ictu calcis animalis alterius percuſſus, aut negligẽtia impa ctus, aut ſaxo, aut fuſte videatur eliſus. Sed hæc ſolet eſſe diſtantia, vt illa quælibet læſio loco figatur, hæc autem paſſio, quia erratica eſt, ſubitò ad pedem alterum migrat. Subter cutaneus autem morbus vlcera in cor pore ſcabiei ſimillima producit, cuius remedium eſt. Radiculam, quam quidam Conſiliginem vocant, quidã Pulmonaceam, qua Mulomedici frequenter & bubulci vtuntur in pectore animalis hac ægritudine laborantis eatenus pones, vt acuto cuprino circines locum. Poſtea corio perforato radiculam interſeris, quę ibidem ſpõte tam diu permanebit, quouſque cutis quatenus cuprino ſignata, in pu

tre-

tredinem fit verſa, & à toto corpore ad illum locum humor trahatur, & per vulnus emittatur. Hactenus ille. Quibus ſi conferamus, quæ ab Apſyrto & Hierocle ſcribuntur, non minus clarè perſpiciemus Conſiliginem Latinorum à Græcis Helleborum album dici, quam certum eſt Matthæolum id nunquam hactenus olfeciſſe. Τὸ δὲ πάθος ὃ καλοῦσιν οἱ πολλοὶ μάλιν, τινὲς δὲ κατάῤῥουν, ῥωμαϊστὶ δὲ Σουσπίριον. ἐστὶ δὲ τῇ ἀληθείᾳ ἀρθρῖτις, ἧς σημεῖα τάδε; ἰχῶρες ἀποστάζουσιν ἐκ τῶν μυκτήρων παχεῖς, ὀσμὰς ἔχοντες, μήλινοι τὸ χρῶμα, καὶ τὴν κεφαλὴν βαρύνεται, καὶ ῥέγχει, καὶ ἀπισχναίνεται, διὰ τὸ εἶναι ἀνόρεκτον, καὶ τῇ παρ᾽ ἑκατέρᾳ ἐναλλάξει τῶν ἄρθρων, χωλάσματα ἐπιγίνεται. ἐφ᾽ οὗ ἂν τύχοι κατακείμενος μέρους, ἕλκονται τὸ μέρος ἐκεῖνο τοῦ σώματος, διὰ τὸ εἶναι ἀνάχυσιν ὑπὸ τὴν βύρσαν, καὶ τὰ ἄρθρα χυμοῦ δριμυτάτου πλήρη. ἐστὶ δὲ μάλεως γένη τέσσαρα. ἡ μὲν γὰρ ἐστὶν ὑγρά, ἡ δὲ ξηρά, ἡ δὲ ἀρθρῖτις, ἡ δὲ ὑποδερματῖτις. τούτων

αἱ μὲν εἰσιν εὐθεράπευτοι, ἡ δὲ δυσθεράπευτος, ἡ δὲ ἀθεράπευτος. Εὐθεράπευτοι μὲν ἥτε ὑγρὰ, ἧς καὶ σημεῖα φέρεται διὰ τῶν ῥινῶν, ὑγρὸν, λεπτὸν, ὅμοιον ὕδατι. καὶ ἡ ὑποδερματῖτις, ἐξ ἧς συμβαίνει ψωρίασις. δυσθεράπευτος δὲ ἡ ἀρθρῖτις, καθὼς γέγραπται. ἀθεράπευτος δὲ ἡ ξηρὰ, ἧς διὰ τῶν μυκτήρων φέρεται οὐδέν. τρώγον δὲ καὶ πίνον ἀπισχναίνεται τὸ ζῶον, καὶ πέψιν οὐ λαμβάνει, αἵτε ῥῖνες αὐτοῦ ἀνεωγμέναι εἰσὶ καὶ φυσᾷ βαρέως, ἑλκόμενόντε οὐκ εὐχερῶς, ἀλλὰ ὅλον συστρέφεται, αἵτε λαγόνες περιτεταμέναι εἰσὶ, τυμπανοειδεῖς, μετέωροι, καὶ ἡ βύρσα σκληρύνεται. τῷ τοιούτῳ οὐκ ἐστὶ θεραπεία, ἀλλὰ διαφωνεῖ ὡς εἴρηται καὶ Εὐμήλῳ τῷ Θηβαίῳ. τῆς δὲ ξηρᾶς μάλεως οὔτε ἐγὼ ἰατρὸς, οὔτε ἄλλος τις. τὴν δὲ αἰτίαν δηλώσω, ὅτι ὁ πνεύμων ῥήγνυται πρὸς τὴν δεξιὰν πλευρὰν, καὶ ἐστὶ πλευριτικός. βοήθεια δὲ ὑποδερματίτιδι μάλεϊ, ἐλλεβόρου λευκοῦ σταῖρα αἰγύπτιον, τέμνοντας τοῦ στήθους τὴν βύρσαν, καὶ τοὺς χιτῶνας ἐπιτιθέναι κομποθήλυκα λινοὺς ἢ καναβίνους παρ' ἑκάτερα τῆς τομῆς δύο, καὶ

καὶ οὕτως ἐντιθέναι τὸν ἐλλέβορον, καὶ ἀποδῆσαι τοὺς πόρπακας καὶ ἐᾶσαι, μέχρις ἂν αὐτόματοι ἐκπέσωσι. Quę omnia adeo claro ſunt argumento, rádiculã, quam Latini Conſiliginẽ vocauerunt, Græcos Helleborum candidum appellaſſe, vt nihil poſſit dici clarius. Nec ſunt ab his diſſona, quæ Columellæ libro de re ruſtica VI. produntur, qui de ijs, quæ ſint, quibus peſtilentia ingruit gregi & remediis adhibendis diſſerens, præſens ſe remedium cognouiſſe ait radiculæ, quam paſtores Conſiliginem vocant. Ea in Marſis montibus plurima naſcitur, omniquc pecori maxime eſt ſalutaris. Læua manu effoditur ante ſolis ortum, ſic enim lecta maiorem vim creditur habere. Vſus eius traditur talis: Aenea ſubula pars auriculæ latiſſima circumſcribitur ita vt manante ſanguine tanquã O literæ ductus appareat orbiculus. Hoc & intrinſecus & ex ſuperiorẽ parte auriculæ cũ factum eſt, media pars

de

descripti orbiculi eadem subula transuitur, & facto foramini prædicta radicula inseritur, quam cum re cens plaga comprehendit, ita continet, vt elabi non possit. In eam deinde auriculam omnis vis morbi, pestilensque virus elicitur, donec pars, quæ subula circumscripta est demortua excidat, & minimæ partis iactura caput conseruetur. Quod genus auricularis remedii cum Vegetio æquè atque Columellæ cognitum esset, ne quis Consiliginem primo à se libro nuncupatam, diuersam ab ea, cuius in tertio libro mentionem facit, putaret, omnes Mallei species, quas vno nomine, Pestilẽtiam vocat, repetens, contagionis labi præsens remedium esse inquit radiculam herbæ Consiliginis, quam aliqui Pulmonariam vocant, alii tantundem radiculam. Eam sinistra manu ante ortum solis collige, quia sic maiorem uim habere creditur. Tunc ad acum vel acutum cuprinum

prinũ pars auriculę, quę lata est, quasi in circulo signat̃ adpremit́q; ut rupta cutè leuiter sanguis exeat. Quod cũ ex utraq; parte feceris, mediũ orbiculum perforas ad acum, & in eodem foramine inseres, quod ubi exierit, omnis pestis uirus per ipsum defluit uulnus, donec ille solus locus, qui designatus est putrescat, & decidat, atque ita animal liberetur. Quare cum quæ hactenus retulimus abundè satis confirment, Cõsiliginem, Pulmonariam, seu Pulmonaceam, Radiculam & Helleborum album unius tantùm stirpis esse nomina, nihil ambigo, quin doctior redditus Matthæolus in nostrã iam sententiam descendere debeat; nisi fortasse Pliniano adhuc propugnaculo nixus ex toto sibi satisfactũ esse negat. Radix, inquit Plinius libro XXVI. naturalis historiæ Capite VII. herbæ Consiliginis, quam nuper inuentam diximus, suum quidem & pecoris omnis remedium præsens est

pul-

pulmonum vitio, vel traiecta tantùm in auricula. Bibi debet ex aqua, haberique in ore assiduè sub lingua. Atqui Matthæolus ait scripsisse Plinium Consiliginem deploratis in phthisi præstantissimum esse medicamētum, subdique id Glycyrrhizę vice sub lingua, quod nusquam toto Plinij volumine legitur. Etsi enim Plinius libro XXV. Capite VIII. demonstraturum se esse promittat, Consiliginem deploratis in Phthisi prodesse, tamen id alibi nō præstitit quam libro XXVI. vbi non phthisicis, sed pulmonum vitio laborantibus Consiliginem vtilem esse dicit. Cum verò Apsyrtus, Eumelus Thebanus, Hierocles, & Vegetius μάλιν pulmonū vitium esse statuant, ijdemq; auctores vnà cum Columella omnibus μάλεως speciebus Helloborum album, quam Consiliginem esse docuimus, vtilem esse prædicent, efficitur Plinium nō de phthisicis, quos verè phthisicos appella-

 mus

mus loquutum esse, sed de iis tantum, qui alio aliquo pulmonum vitio excruciantur. In quorum numero cum tussientes quoq; non rarò contineantur, tussi autem vetere decubentes Plinius Helleboro candido iuuari narret, quid obstat, quò minus idem veratrum album pulmonum vitio laborantibus, vel, vt Plinius largè loquutus ait, phthisicis emolumento esse queat? Profectò tantùm abest Plinium Phthisicos, qui proprè Phthisici appellantur, Consiligine iuuari scripsisse, vt nusquam id monumentis suis insertum esse legamus. Sed per Deum immortalem multa à Matthęolo in commentariis in Dioscoridem frigidè admodum de Consiligine aduersus eos adferuntur, qui suffulti auctoritate Apsyrti, Hieroclis, & Plinii Consiliginem eandem esse plantam cum Veratro nigro crediderunt, cum tamen post longam & inutilem verborum seriem suam denique de Consili-

filigine ſententiam prolaturus herbã, quam Tragus Veratrum nigrum vocat, Conſiliginem eſſe, eodem prorſus argumento defendat, quo alii ante eum Helleborum nigrum Conſiliginem eſſe comprobarunt. Quod quidem eò magis mirum omnibus videri debet, quòd idoneos ſententiæ ſuæ ſcriptores non producat, neque vbi in Italia huiuſce plantæ radices per auriculam perforatam insertæ pecorum peſtilentiam curent, exprimat, & multas inſuper gentes in Europa, Aſia, & Africa indifferenter vtroque Veratro in pecorum morbis vti ignorare ſe haud obſcurè oſtendat.

DEFENSIO XIII. ET XIIII. problematum de Mandragora Theophraſti, & Solano ſomnifero Dioſcoridis.

QVemadmodum ſplendore nimio

facilè corumpitur videndi facultas, quia nimis transmutatur oculus propter similitudinem: ita ira vehementer succensi haud satis vident, quia circumsiliunt tenebræ, nec admittitur illustratio, vaporibus bilis vitio in oculos sese ingerentibus. Vnde non ab re Chrysippus veterum testimonio pronũciauit, iram cœcam esse ὅτι πολλάκις ὐκ ἐᾷ ὁρᾶν τὰ ἐκφανῆ, id est quoniam persæpe nec manifesta quidem conspici sinat. Et si autem Mattheolum cùm suum ad Cratonem epistolium conderet, vehementer commotum atque iracundiorem Adria fuisse appareat, adeo vt non immeritò de ipso nobis dicere liceat, quod Theocritus in XIIII. Idyllio habet:

Κ'ἤφαπτ' εὐμαρέωσκεν ἀπ' αὐτᾶς καὶ λύχνον ἅψαις, id est; Incaluitque ira, facilè accendisse lucernam.

Ex ipsa vt possis: tamen nisi videretur in Mandragora Theophrasti lippire nõ lemmis, sed ollis, æqui boniq;

suam

suā illā quamuis supinā cœcitatē face remus. Sed cum certissimum iudiciū ex collatione nasci soleat, & purpura vt vulgatum habet prouerbium iuxta purpuram diiudicari debeat, subscribemus æquè Matthæoli atque Theophrasti verba. Solanum maius, inquit Matthæolus, Italis herba Belladonna uocatum Mandragoram Theophrasti esse contendit, unica tantùm racemorum nota, cum tamen nec foliorum, nec florum, nec caulium, nec radicis usquam meminerit Theophrastus. Non enim plantæ ex racemis tantùm, ut ex auribus asini cognosci possunt, sed aliis pluribus notis. Verùm antequam Mandragoram cauligeram fecisse Theophrastū ostendam, libet obiter sagax Guilandini ingenium admirari, cui non minus Matthæoli doctrinam perspectam esse uidemus, quàm sit ipsemet Matthæolus sibi, &, si uerum est (ut non dubitamus) quod Aristoteles libro Mora-

lium

lium Eudemiorum VII. ſcribit, prudentiam & ſapientiam hominum celerem eſſe diuinationem, & horum tantum: quis poſthac negabit Guilandinum non ſolum inter ſapientes connumerandum eſſe, qui tam benè de Matthæoli eruditione coniecerit, verùm etiam vatibus adſcribendum, quando vt Plutarchus in libello de reſponſis Pythiæ refert, Qui benè coniecerit, optimus vates appellari debet. Præterea cum Solanum maius, ſcribit Guilandinus, ſuæ gentis hominibus Belladonna appellatum, Strychni generibus annumerat, atque antiquis ſcriptoribus ſilentio omiſſum decernit, Theophraſtũ ſibi nunquam lectum, clarè exponit. Ille ſi Mandragoram eius auctoris, differre à Belladonna oſtenderit, concedam ſanè lectum ſibi Theophraſtum, ſed minimè intellectum. Contra autem Mattheolus grauiter intonat, quamuis Belladonna fructum in racemis ferat, &

Theo-

Theophrastus Mandragoræ fructus racematos esse dicat, non tamen plantas ex racemis tantùm, vt ex auribus asinos cognosci posse; sed quia Theophrastus neque caulium, neque foliorum, neque radicum Mandragoræ vsquam meminerit, igitur Bellamdonnam non posse Mandragoram dici. Vetus equidem dictum esse satis Senecæ testimonio animaduerto, à lasso rixam quæri, æquè autem ab esuriente, & ab omni homine, quem aliqua res vrit. Nam vt vlcera ad leuem tactum, deinde etiam ad suspitionem tactus condolescunt: ita animus affectus nimis offenditur, adeo vt quosdam salutatio, epistola, oratio, & interrogatio ad litem euocent. Nunquam sine querela ægra tangũtur. Sed ne paulo striĉtiore iure cum Matthæo loagere videamur, concedamus illi quas dicit Asini aures, & Theophrastum caulis, foliorũ & radicis, Mandragoræ mentionem fecisse demonstre-

mus. Ex reliquis autē, inquit Theophrastus libro de historia plantarum VI. Capite II. quædam constant caule ferulæ similiore, ceu MANDRAGORAS, Cicuta, Helleborum, Albucum: quædam veluti neruicaulia sunt, vt Fœniculum, Myophonum, & eiusmodi reliqua. Fructus Mandragoræ peculiaris, quod niger, racematus, vinosusque suo sapore sentiatur. Rursus autē libro IX. Capite X. Mandragorę folium vtile esse ad vlcera cū farina tradit: Radicem verò ad erysipelas rasam & aceto subactam. Item ad morbos podagricos, nec non ad somnum atque amores ex vino aut aceto dari. Quæ si Matthæolus apud Theophrastum legisset, quem ei hactenus lectum etiamnum Guilandinus constanter negat, nunquam profectò Asini aures produxisset, neque Bellamdonnam à Mādragora Theophrasti separasset, & quod auditu turpissimum est, Theophrastum nullam Man-

dra-

dragoræ caulium mentionem fecisse, asserere abstinuisset. Relatum in historia legimus Polycratis auditoré, qui aduersus Socratem accusatorio spiritu orationē concinnarat, cognominatum fuisse κύνα ῥητορικὸν, id est rhetoricum canem; quòd dicendi cura esset ei vel maxima, sicut odij quoque ac cum plerisque inimicitiarum: quumque lingua foret virulentus, ac vnumquenque proscinderet audacius, quidam haud sanè illiteratus ex eo institit quærere, vt quid procliuiter adeo alienam laceratum famam pergeret, quòd inquit, ποιῆσαι κακῶς βουλόμενος οὐ δύναμαι, id est malè facere cupiens nequeo. Sed redeuntes denique velut postliminio vnde orationē excideramus, præstat vt quàm firma sint quibus Matthęolus in Solano somnifero aduersus Guilandinum depugnat, expendamus, quæ quamuis nulla propemodum reiectione indigeant, quòd ad neutrum ex argumen-

tis

tis Guilandini responsum esse videamus, ne tamen curiosus lector negligentiam nostram hoc loco accusare possit, repetemus ipsius tantùm Guilandini ex Theone verba.

Porrò autem, inquit, in Solani somniferi agnitione, vel ipsum, vel certè Dioscoridem falli necesse est. Etenim quod ille expresso icone proponit, & floribus & radicibus, candidis paruisque constat: contra quod Dioscoridi describitur flores habet magnos rubrosque, radice item prægrandi rufaque viuit. Quibus nullā Matthęolo iniuriam fieri nec ipse quidem Ghinus, si adhuc in humanis esset, inficias iret, quia aliter naturam ipsam mendacem faceret, & omnes, qui Patauij & in multis alijs Italiæ vrbibus plantam eam terræ hærentem viderunt, in se concitaret. Radices enim floresque eius omni tempore, æquè recentes atque siccæ, æque per messes, atque alijs anni temporibus can-

candido colore constant. Multo mehercule huc aptius pertinere uidetur, quod supra ex Matthæolo de Asini auribus retulimus.

DEFENSIO XV. ET XVI. Problematum de Pipere rotundo,& Myrtidano.

MVltum equidem Matthæoli leporem magnum incredibilemq; cognoui,sed est cæteris maior quasi theatris propositus,& penè popularis, grauiori iniuria affici non posse Theophrastum quam illi genuinum rotundum subtrahere Piper. Quin tu, vt Periphanis Plautini uerbis vtar,aliũ quæras,cui cẽtones farcias, quemque con sarcinatis fabulamentis expleas. Virum quadratum scimus esse uerè bonum, sineque uituperatione ad libellam æquum,nec fucatum forensi specie, totum teretem atque rotundum,

ut inquit Vergilius. Ἀγαθὸς ἀληθῶς, καὶ τετράγωνος, ἄνευ ψόγου. Perſpectum ſanè habemus, quod antiquis quoq; innotuiſſe palam eſt, uniuerſum Piperis nigri corymbum, quando primùm erumpit, ſolido tegumento contineri, ſed ſingula quæque illius grana, ſingulari putamine baccæ laurinæ inſtar claudi ut Theophraſtus ait, Matthæolus primus omnium ex abundanti doctrina, quæ ſua eſt liberalitas, cōmentus eſſe uidetur. Et hæc quidem ille pro ſe & Theophraſto de Pipere rotundo: Sed pro Hippocrate & Galeno περὶ στρογγύλου καὶ μυρτιδάνου idem quod muta cicada. Quare ne ſtudioſus lector deſiderare queat, quæ ſuo marte Guilandinus magna ſubtilitate de utroque antiquorum Pipere deprehendit, apponemus eius ex Theone rotundiſſima uerba, quæ quia nullo hoſtili inſultu conuelli potuerunt, digniſſima eſſe iudicauimus ut in hac noſtra legerentur defenſione. Rur-

ſus

ſus autem euidens uiri illius error in Pipere rotundo, longoque, & uulgaribus Cubebis apparet. Etenim Cubeba officinarum à Theophraſto Piper rotundum appellatur, ab Hippocrateque ſimpliciter Piper. Quoties enim cunque apud Hippocratem uel Piperis, uel Indici pharmaci oculorũ uel denique Myrtidani mentio incidit, perpetuò Piper rotundum Theophraſti, hoc eſt Cubebas uulgares intelligit. Cum uerò στρογγύλου, hoc eſt rotundi meminit, rotundum Dioſcoridis Piper album nigrumque exponit. Id à nemine hactenus animaduerſum miror maximè. Nec me fugit Galenum hac in parte inſigniter lapſum. Cubebam, quæ Piper rotundum ſit, à Strabone Corſium dici opinor. Cæterùm Piper longum, cuius hodie apud omnes gentes uſus eſt, minimè cum antiquorum macropipere conuenire, liquido Dioſcoridis & Theophraſti uerba coarguunt. Sit quod uulgò Ca-

lecuthicum Piper appellant, nec affirmo, nec refello. Proh Deum immortalem quantas nectit uir ille nugas, qui ut uideatur singulare aliquid conspexisse, Piperis plantam Venetiis in horto clarissimi Medici Maphæi uigere fabulatur. Atqui si frutex ille Piper est, uel etiam Amomum, ut alij somniant, parum aberit, quin uulgare Ribes, uel Piper, uel Amomum esse possit. Hæc Guilandinus. Præter hæc omnia admiratione dignum putamus, credidisse Matthæolum, Teophrastum Piper rotundũ colore ὑπέρυθρον narrantem, de eo quod in India habetur loquutum esse, non autem de eo, quod in Græciam suo tempore ad uehebatur, quod subrubro colore fuisse, tota uno ore antiquitas reclamat, quæ Piper, quod Dioscoridi celebratur, colore tantùm nigro, alboque distinguit. Accedit ad gratiam, quòd Cubebas longè magis amarorem, quàm ullam resipere acredinem

ait, cum in commentarijs in Dioscoridem diuersum scripsisse uideatur, ubi Cubebis acrimoniam inesse dicit, & amaroris tantillum, esseque excalfacientium & siccantium ordinis tertij.

DEFENSIO XVII. ET XVIII. problematum de Sātalis, & Maro, Amaracoque.

Refertur apologus quidam apud Græcos non inelegans, esse iam olim Ciconiarum generi, cum uniuersa ranarum gente, ueterem, atque antiquā simultatem, ac bellum prorsus internecinum, planeque quod Græci solent dicere ἄσπονδον πόλεμον. Nam odio dissident plus quàm Vatiniano, & nihil magis inter eos conuenit, quàm hodie quoque conuenit inter Matthęolum & Guilandinum. Cum enim Matthæolus nihil haberet, quo Gui-

landinum in Santalis repercuteret, ne tamen errorem fateretur suum, quem tueri non poterat, ut lecythum haberet in malis, Mauritanæ factionis scriptoribus colophum impingere uoluit. Sed unde tantùm Matthæolo iuris? An quia Santala in commentarijs in Dioscoridem suauiter spirare dixit? Atqui neque Serapio, neque Auicenna, neque ullus omnino Arabum iucundo spirare odore Sãtala tradit. Sed admittamus prodidisse Arabes Santala præstanti odore cõmendari, quod non fecerunt, Ergo'ne secundum in caliditate ordinem attingent? Non'ne Rosam, Myrtum, Hyacinthũ & Violam fragranti commendari odore scimus, neque tamen calidis annumeramus? Scribit autem Guilandinus & fateri uidetur Matthæolus, quòd quæ ille dixerat, hic haudquaquam improbat, Sãtala duo vulgaria in secundo caliditatis gradu consistere, quod quia gustus certitu-

dine

dine uerũ eſſe indies experimur, quomodo quæſo eſſe dicemus Arabum Santala, quæ tertium ſibi frigidorum claſſem aſſumere, tota eorum ſchola concorditer aſſeuerat? Proinde rectè fecerit poſthac Matthæolus, ſiquidem Guilandinum in Santalorum tẽperamento à ueritate declinaſſe ſtatuere ueritus eſt, ſi nobis Mauritanorum Santala præſtanti redolere odore, quemadmodum ipſe opinatur, demonſtrauerit, atque ideo ſecundnm calidorum claſſem inuadere poſſe, in quam noſtra reponenda eſſe Santala, nemo niſi aſtomus negauerit. Sed deum immortalem, quæ eſt illa ſua plus quàm Hetruſca urbanitas? Nonne dum Guilandinum grauis mendacij parum comiter accuſat, ſe quàm longiſſimè à ueritate recedere uoluiſſe declarat? Ille'ne ulla eum iniuria afficere potuit, qui Marum & Amaracum contra Galeni ſententiam à Matthæolo confuſa eſſe ſcripſit? Annon

pudere debebat sexagenariũ senem errorem suum tueri nescientem, mendacij non mendacem insimulare, seque ipsum, qui uerax uideri cupiat, ingentis & pudendi prorsus mẽdacii reum agere? Quod si eum sibijpsi notum reddere coner, tum mihi acciderit id, quod prouerbio dicitur, Vt suum sibi somnium narrem. At quomodo ei decentius ἀχρυξίαν imperabo, quàm si suis eum telis in arena prosternam? Annon in Commentariis in Dioscoridem, quo loco auctor ille Sampsuchini permixtionẽ docet, ita ad uerbum scriptũ reliquit? Porrò ut huiusmodi controuersia tollatur, sciendum est stirpem eam quæ Galeno & Paulo Amaracum appellatur, id sanè Amaracum non esse, quod Theophrastus, Dioscorides, & Plinius uocauere, sed potius, ut ego existimo Marũ. Hæc Matthæolus. Atqui si Amaracum Galeni Marum Dioscoridis est, quid obsecro Marum Galeni apud

 Dio-

Dioſcoridem eſſe dicemus? Non'ne Galenus libro de Antidotis primo in Hedychroi compoſitione expreſsè tam Mari, quàm Amaraci meminit, & magnum inter utramque ſtirpem diſcrimen conſtituit?

Aliæ, inquit, Hedychroi deſcriptiones reperiuntur, quæ neque Amaracum, neque Marum prorſus habent; quædam alterutrum tantũ continent. Neque enim duo hæc omnes noſcũt unguentarii, eò quòd herbas ſolùm è Creta aduectas emant unà cum ſeminibus, atque ſuccis. Ego uerò & eaſdem herbas ſcio in Aſia naſci, ac in aliis quidem regionibus raras eſſe, in Cyzico autem frequentes. In Italia quoque ut & alias quaſdam herbas, ita & Amaracum uidi, quæ odore multùm à Maro ſuperatur. Marum enim ualdè redolet, putaretque aliquis ſola nominis appellatione ductus, unguentum Amaracinum, quod in Cyzico faciunt, Amaraci plu

 rimum

rimum capere, sicque forsitan ab antiquis unguentum conficiebatur, sed nunc solum Marum imponunt. Hanc herbã aliquoties cum ipse degustassem, ac eam amaram quidem plurimũ, acrem uerò parum deprehendissem, hortatus sum quendam eorum, qui Amaracinum conficere solent, ut Amaraci tantum compositioni immitteret, quantum & Mari. Ac mihi uisum est id unguentum minns quidem odoratum, nihil autem uiribus infirmius. Hactenus Galenus. Quibus si Matthæolus lucernam adhibere in meridie uelit, sciat non solùm neminem hactenus conclamasse iratum aliquem deorum esse, uerum etiam si bouem ad ceroma mittere perget, perituram, sibi operam oleumque. Quorsum enim lucernis opus clarissima luce? Falsum namque esse palam est, plantam, quæ Galeno Amaracus appellatur à Dioscoride uocari Marũ, quando hac ratione efficeretur Marũ

Galeni apud Dioſcoridem non extare, & Marum Dioſcoridis plantam eſſe à Maro Galeni diuerſam, quod ipſum aſſeruiſſe delirantis proprium arbitramur. Denique ſat eſſe debet Matthæolo, ſicubi Marum Galeni ab Amaraco eiuſdem ſeparauit, id quia pugnat cum ijs, quæ ſupra ex Sampſuchini confuſione retulimus, ipſum aduerſantia ſibi & repugnantia tradere.

DEFENSIO PROBLEMATIS XIX. de Telephio.

TAnta eſt hominum quorundam vanitas, vt non modò laudis & fumi pręter modum appetentes ſint, verùm etiam emendicatis præconiis plurimum gaudeant, neſcientes vino vendibili ſuſpenſa hedera haud eſſe opus & viuentes etiamnum fabulam eſſe: quoniam vti fabulæ nec uera inſunt, nec ueriſimilia, cōpari modo vita no-

ſtra nec veriatis quicquam, nec certitudinis habet, niſi illud quo certius nihil; Hominem bullam eſſe, ſed multò magis ſenem, vt M. Varro ait. Nos tamen opinionum illecti vanitate, ſuffragiorum centonibus hinc inde conquiſitis, & in vnum locum conſarcinatis, noſtris etiam, ſi dijs placet, intertexímus libris, doctiores ita & meliores quàm ſimus haberi volentes, nobisque ipſis blandius ementientes, ſpes inanes omnino cõfouemus, quod ad pręſentẽ attinet vitæ ſtatum, nec Philoſophum audimus eminentiſſimum Platonem ſubinde inſuſurrantem, τὰς ἐλπίδας ἐγρηγορότων ἀνθρώπων ὀνείρους εἶναι, hoc eſt ſpes eſſe vigilantium ſomnia. Decet virum cordatum & benè inſtitutum orientem potius ſolem, quàm occidentem adorare, laureolam non ex muſtacio quærere, & cœco occipiti poſticæ occurrere laudi, nec omnia, quæ de ſe dicuntur ſcribuntur'ue facilè credere,
quem

quemadmodum Theodorus, quem
ideo nuncupatum esse deum memo-
rant, quòd cùm illum Stilpo percun-
ctatus esset, Putas'ne Theodore te id
esse quòd diceris? Atque is annuis-
set: Deus ergo, inquit, es? Id cum
gratè quoque accepisset, subridens
Stilpo: O fatue, ratione compari &
cornicem te esse fateberis. Sed iandu
dum tempus est, vt his omissis ad insti
tutum negotium recurrat oratio, ne
quis meritò calumniari possit, nos in
fine defensionum declamare: quan-
quam video Plinium in huiusmodi
locos causa voluptatis frequenter di-
gredi. Me vanitas quorundam à pro
posito nõnihil transuersum egit, non
illectauit amœnitas. Quæsti fuimus
in superioribus de Matthæoli cœci-
tate aliquoties, quẽ nunc iterum con-
spiciliis indigere putamus, quæ inser-
ta naribus oculos mirè adiuuare con-
stat, non quò horum adminiculo ob-
tusam & hebetem visionem suam sub

bleuet,sed vt tantùm mentis suæ non candidum sensum perspiciat. Telephium fabariam esse etiā cœcus idem quæ astomus negauerit, Guilandinus scribit. Verùm viri eius Scorpioidē, Romanis Hetruscisque Amoris herbam appellatum, Telephium priscis hominibus nuncupari, nemo non probè in re herbaria institutus, facilè concesserit, ritu, quem Theocriti scholiasta adnotauit ad hæc vsque tempora propagato, magnæ Italiæ partis consensu, illi nondum explorato. Quæ verba quia Matthæolus intelligere vel non potuit, vel certè non uoluit, multis seipsum erroribus in præceps agit, quando Guilandino id, quod nō dixit, imò quod ille constanter reiecit, adscribit, & quod vehementer mirandum est, Theocritum Nicandri scholiographum esse cōtendit, quem poëtam multò tempore ante quàm Nicander nasceretur Buccolico carmine excelluisse de classicorum au-

ctorum sententia patet. Nec est quod hanc tam fœdam & enormem ignorantiam suam fucata aliqua oratione obtegere tentet, quia neque Nicāder, neque glossographus eius, quem etiā à Theocriti scholiasta diuersum esse nouimus, vsquam Telephii mentionem fecere. Damnat autem primò Guilandinus illos omnes, qui Fabariam rentur antiquorum Thelephio conuenire, quòd hoc in primam calidorum classem reiectum esse legamus, illam verò cum iis, quæ sibi penultimum frigiditatis gradum adsciscunt egregiè de paritate contendere quotidie experiamur. Deinde affirmat, plantam, quam Latium atque Hetruria Amoris herbam appellant, quamq́ue Matthæolus pro Scorpioide supponit, Scorpioidem esse non posse, sed rectè ueterum Telephion Theocriti scholiastæ auctoritate uocari, cum non solùm ridiculam consuetudinem, quam ueteres in Thele-

phio

phio obſeruaſſe indicabimus, in Amoris herba hucuſque perdurare uideamus, uerùm etiã ei uires Telephii & ſingulas illius notas à Dioſcoride propoſitas ad unguem quadrare. Cæterùm receptum erat apud antiquos, vt ſi quãdo periclitari vellent, ecquid amaſiis ſuis forent grati, eſſetque affectus mutuus, imponebant pollici & indici Platagonium, hoc eſt rheadis & anemonis flores, moxq; altera manu collidentes, quod ſi percrepuiſſent, amari ſe augurabantur, ſin minus vt fruſtrati ingemiſcebant. Id ipſum verò planè ſignificat Theocritus Idyllio III. hiſce verſibus

ἔγνων πρᾶν, ὅκά μευ μεμναμένῳ, εἰ φιλέεις με,
οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτεμάξατο τὸ πλατάγημα
ἀλλ᾽ αὔτως ἁπαλῷ ποτὶ πάχεϊ ἐξεμαράνθη

Vbi Telephilon poëte illius interpretes eſſe autumant, præter iam dicta, ῥιζιόντι θαμνῶδες. κατώθεν δὲ ἀναβαίνει ξίκλωνον. τοὺς δὲ κλῶνας ἔχει δραχμῆς μείζονας σπιθαμιαίους. τὰ δὲ φύλλα ἔοικε

τῷ

τοῦ σπειρομένου λωτοῦ. λοβὸν δὲ ἀφίησιν ἑλικοειδῆ, ἐν ᾧ τὸ σπέρμα. τινὲς δὲ τῶν ἐρωτικῶν τὸ τηλέφιλον ἐπὶ τὸν ὦμον τιθέντες ἢ τὸν καρπὸν ἐπικρούουσι, καὶ ἐὰν μὲν ἐρυθρὸν γένηται, νομίζουσι ἀγαπᾶσθαι ὑπὸ τῶν ἐρωμένων. τοῦ χρώματος δὲ ἐμπρησθέντος, ἢ ἑλκωθέντος, μισεῖσθαι. Cum verò hodie ritum hunc ab inferioris ſortis hominibus in Latio & Hetruria in Amoris herba obſeruari ſciamus, quemadmodum & nomen ipſum plantæ liquidò coarguit: ac deſcriptio egregiè cõſentiat; vires quoque, quas calidas eſſe conuenit, non diſcrepent, ecquis poſthac tam fatuus Amoris herbam Telephion eſſe refellet? Eſt namque Amoris herba, quam Matthæolus perperã pro Scorpioide exhibet, portulacæ in vniuerſum ſimilis: alas binas in ſingulis foliorum geniculis inſertas habet, ramulis modò pluribus, modò paucioribus à radice prodeuntibus, quibus annectuntur folia craſſa carnoſaque: flores

res ferè in Italia lutei, alibi etiam candidi. Semen oblongum, nigricans, siliquis teretibus, incuruis per interualla veluti in geniculis clausum. Vis calida siccaq;. Quæ notæ omnes cum à Dioscoride, Galeno, & Scholiographo Telephio attribuãtur, quomodo poterit fieri Amoris herbam, Scorpioidem dici debere, quem Dioscorides & Plinius non siliqua, sed semine caudæ scorpionis effigie depingunt? Si enim Matthæolus idoneis ad hanc rem argumentis comprobauerit, τὸ σπέρμα apud Dioscoridem & Semen apud Plinium, aliquando pro κεράτιον ἢ λοβὸς positum inueniri, cedemus de nostro iure, & errorẽ agnoscentes victori herbam daturos nos promittimus. Sed vt tandem huic de Telephio disputationi finem imponamus, rectè fecisse Matthæolum dicimus, quando Amoris herbam antiquitus Telephium esse Guilandino docente agnoscit, sed cum à Dioscoridis

ridis Thelephio nullo auctore seiungit, Cimerias in tenebras ruit. Par certe erat eum nouam hanc sententiã suam veterum decretis confirmare, & in quo Telephia ista different ostendere: ac quod rei caput esse arbitramur, *τὸ σπέρμα* apud Dioscoridem & Plinium *ἀντὶ λοβοῦ ἢ κερατίου* vsurpari docere. Dignum verò scitu est, glossomatarium Nicandri, Scorpiurum, si modò eadem sit herba cum Scorpioide Dioscoridis, non semine caudæ scorpionis figura describere, sed radice, quam pungentem esse ait, & aspera lanugine tegi, habereque aliquam cum Cotylidone similitudinem. Sed nos uerba eius subscribemus.

Σκορπίουρος, φησί, ἡ βοτάνη καλεῖται, ἐπειδὴ ἡ ῥίζα αὐτῆς ἐμφερής ἐστι τῷ τοῦ ζώου κέντρῳ, ἀθερώδης οὖσα. ἔοικε δὲ τῇ τοῦ κοτυληδόνος. οἱ δὲ κλάδοι αὐτῆς ἀειθαλῆς, λευκὰ φύλλα ἔχοντες ὡς ἡ ἐλαία, εἰς ὕψος ἀνατείνοντα, ὅμοιοι ὄντες τοῖς ἀεὶ χλοάζουσι τῆς μολοβούρου. αὕτη φύεται ἐν ψαφαρᾷ γῇ ἢ

ὀρει-

ὀρεινῇ καὶ κρημνώδει. Dioſcorides verò Heliotropio magnō florem eſſe effigie Scorpionis caudæ narrat, unde & Scorpiūros dicatur, illiniq́ue & bibi contra ſcorpionum ictus; quam eſſe Scorpiuri nominis cauſam idem Nicandri ſcholiaſta alibi teſtatus eſt.

DEFENSIO PROBLEMATIS XX. de Amello.

VEntum eſt ad ultimum de Amello problema, per eundē quem Matthæolus inſtituit ordinē, & ipſum ſua ſponte occurrit immenſum ignorantiæ ac malignitatis documētum, ut prorſus nec aliud ultra quæri debeat, nec par aut ſimile poſſit inueniri, ipſa ſe uincente ignorantia & quidem numeroſis modis. Quid enim? An'ne florem ſine herba eſſe dicemus? & ſiquidem Philoſophos & Theologos quoque nos eſſe altius intonamus, herbam'ne ſine ſemine & flore conſtituemus?

mus? Non'ne Vergilium modò florem, modò herbam Amellum appellasse liquet, quando hunc in modum canit?

Est etiam flos in pratis, cui nomen Amello
Fecere agricolæ, facilis quærentibus herba.

Antagonista'ne inficias ibit, se quę Guilandinus de Amello scripsit mini me intellexisse? Annon Amellum modò pro Chelidonio minore, modò pro Primula ueris minore ancipiti foliorum intellectu interpretatus esse legitur? Sed cum ignoraret quid sibi uellent uerba illa, Ancipiti foliorum intellectu, scribit Guilandinum in utraque stirpe de folijs plantas uestientibus loquutum esse; cum in humili quidem Chelidonio id uerum esse fateamur, in pusilla uerò Primula ueris uix aliud æquè falsum dici posse existimamus, quòd folia eius purpura aspersa non sint, sed tantùm floris ipsius foliola luteam summo cauliculo particulam, quæ uerè flos est, ue-

stien-

ſtientia, purpura reluceant. Quę cum ita ſe habeant, facilè animum induco meum erubeſcere iam illum, agnoſcereque multò ſeipſum grauius erraſſe quàm Guilandinum, ſi modò hic errauit, quando Primulam ueris minorem à Vergilio Amellum non leui coniectura uocari collegit, ſiquidem flores eius, quemadmodum ille quoque in Commentariis in Dioſcoridem adnotauit, toto ferè anno emicant, centro tenus aurei, per ambitum uerò foliolis duplicibus in purpuram rubentibus circumdati, coronis texendis aptiſſimi. Verùm aduerſarius caulium quoque ſyluam in Amello requirit, quod dum agit, facit vt nimium Vergilium intelligendo, minimè intellexiſſe uideatur. Neq; enim Vergilius caulium ſyluam Amello tribuit, quod quidem à Primula ueris alienum non eſt, ſed Amellum ingentem tantùm ſyluã uno de ceſpite tollere ait, quod uel ad pluralitatẽ plantarum

tarum Amelli qui rarò ſoli naſcuntur pertinet, uel certè ad multitudinem caulium foliorumque eius, quæ vnaquæque Amelli ſtirps obtinet. Vtut autem intelligamus, omnia Primulæ ueris ad amuſſim conueniunt, quòd & de uno tantùm ceſpite plures illius ſtirpes emergere ſoleant; & unaquæque per ſe planta eam foliorum cauliumque copiam deferat; ut non immeritò ingens ſylua dici queat. Vnũ etiamnum eſt, quod ingenium eius in Amello torquet, aſper in ore ſapor, quem ipſe fortaſſe pro incredibili eru ditione ſua, pro qualitate adurente exulceranteque interpretandum eſſe arbitratur; ego pro ea quæ quàm longiſſimè ab hac abſit, vel etiam pro ipſa foliorum duritie aſperitateque. Dicat nunc conuitiator aliquis uter eorum ferula dignior, Matthæolus an Guilandinus? Sed ne prolixitate lectori faſtidium pariam, hic ego defenſionum finem faciam, pauca tamen

& æquum & iniquum lectorem monebo, quæ & instituti mei rationem, & Guilandini innocentiam atque studium unicuique commendare poterunt. Hæc uerò omnia cum ego intra parietes pro stabiliendis Guilandini problematibus,quę Matthæolus ex centum uiginti conuellere conatus erat, commentarer, meisque studiorum, quos Patauij habeo socijs, communicassem, summis precibus atque obsecrationibus contenderunt, ut ueritatis indagandæ gratia, quæ alioquin cum unius uiri sententias audimus,illiq; abblãdimur & applaudimus omnes immodicè, quadã ueluti sub Tyrãnide oppressa prostrataq; iaceret, in publicum emitterem. Fieri enim non posse in tanta rerum uarietate, atque antiquorum auctorum obscuritate, ut unus uidere possit omnia. Simplex illa est & peruulgata sententia, eaque uerissima, Vnus uir nullus uir,quæ non tantùm ad corpo-

ris uires, quibus in præliis ineundis & fortiter finiendis æternam laudem quærimus, ſpectare uidetur: uerùm etiam in animi contentionibus & perpetua mentis agitatione, quibus contemplando & nosipſos & poſteritatem à perniciosiſſimo & turpiſſimo ignorantiæ dominatu liberare cupimus, locum habere poteſt. Deinde cum ex ſententia Empedoclis ἡ φιλία ἑνοποιός eſſe dicatur, uel hoc ſolo amicitiæ uinculo adſtrictus, ut debui periniquo animo tuli, innocentis, docti, atque optimi uiri famam apud plurimos eruditos unius odio & calumnia tam grauiter periclitari. His igitur de cauſis, & ut plurimorum ſtudijs, qui eaſdem quas nos in Matthęoli commentarijs animaduerterant dubitationes, qualicunque hac mea opera & diligentia conſulerem, & Guilandino, cuius ingenium, induſtriam atque doctrinam unà cum alijs multis præſtantibus uiris, ab aliquot iam an-

nis adamassem, grati mei animi & amoris, quo ipsum uirtutis causa prosequutus sum, significationem exhiberem debitam, petitioni & uoluntati amicorum morem gessi libenter. Matthæolum denique unà mecum studiosa iuuentus atque omnis literatorum chorus etiam atque etiam uehementer rogat & obtestatur, ut à falsis criminationibus imposterum abstineat, si & nominis sui immortalitatem, & operum suorum auctoritatem integram & saluam esse quàm diutissimè uoluerit. Quæ profectò ubi posthac tam grauibus conuitijs & maledictis fuerint referta, cuiuis ne dicam docto, sed sanæ mentis homini stomachnm facilè mouebũt, neque à quoquam legi poterunt unquàm. Quam uana enim illa sint, quamque intollerabili iracundia & nimis acerbo odio nitantur, quæ Guilandino obiecit nemo non uidet. Sed aliud est maledicere, aliud

accuſare, accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet: maledictio autem nihil habet propoſiti præter contumeliam, quæ ſi petulantius iactatur conuicium, ſi facetius urbanitas nominatur. Poſſem ego hoc in loco liberius & prolixius refutare iſtam maledicēdi licentiam, niſi pudor moderaretur orationi meæ. Non enim procacitatæ linguæ uitæ ſordes eluuntur, neque vitam hominis ex oratione, ſed ex moribus ſpectare debemus. Iam igitur dabo operam, quàm maximè potero vt breue id faciam quod inſtitui. Guilandinus honeſto apud ſuos loco natus eſt & liberè educatus: patria non exulat, nec agaſonem egit, quo illum munere nunquam defunctum eſſe ſatis heroica eius indoles & magna optimarum diſciplinarum peritia atteſtatur. Accedit præterea quòd iucundè perfruatur plurimorum beneuo-

lentia, qua illum ſummi in Italia viri complectuntur, neque potuiſſent ab homine, qualem Matthæolus Guilandinum eſſe fingit, tot exanclati peregrinationibus labores ſuſcipi atque abſolui. Denique Stoio, Fidlero, Vuagnero, Fingcio eruditiſſimis viris & conciuibus ſuis longè eſt gratiſſimus. Quod quidem ſilentio nobis prætereundum minimè fuit, cum multum vt Hector apud Næuium inquit momenti habeat laudari à viris laudatis. Itaque confutatione maledictorum poſthabita, id quod maximè docti omnes, atque ſtudioſi expetunt, Matthæolum rogatum eſſe volumus vt ad cætera quoque Theonis problemata reſpondere quàm primum velit. Id enim ſi fecerit præterquam quod Guilandino anſam præbebit Bionem & Pattæcionem abſoluendi; magnas quoque ei ſtudioſi gratias agent, quòd tandem ex mutuo conflictu veritatem emerſiſſe per

ſpexerint. Diſputationem verò integram Matthæoli, qua viginti Guilandini problemata confutare conatus eſt, ad calcem huius defenſionis adijcere volui, vt candidus lector, aduerſantia inter ſe argumenta facilius conferre poſſit.

FINIS.

PETR. ANDREAE
MATTHAEOLI
ADVERSUS XX.
Problemata Melchioris
Guilandini
DISPVTATIO.

PETR. ANDREAE MATTHAEOLI

ADVERSVS XX. problemata Melchioris Guilandini disputatio.

AD IOHANNEM CRATONEM.

NON dixerim facilè, mi Crato, quantum mihi placuerit, tuum de Borusso illo impudentissimo iudicium, non certè quòd gaudeam doctos viros inimicitias suscipere cum obtrectatoribus meis, sed quòd illorum testimoniis, apud omnes inclarescat, nefariè, & propè dixerim scelerate istos mecum agere dum maledicis & virulētis scriptis inuidiam mihi & laboribus meis facere nituntur. Id quod ita magno cum affectu, tamque pertinace animo agunt, vt tanquam rabie correpti canes, sit illis ira aduersus innocentiam,

perciti latratibus & morsu, aut sicut tu prudenter dixisti, etiam calcibus tanquam asini quidam me impetant. Atque vtinam quanto strepitu spirituque prouoluunt criminationum maledictorumq; suorum fœditatem, tam firmis argumẽtis, aut saltem probabilibus veritati patrocinari si non possent, niterentur saltem, æquiore certè animo acciperemus etiam ea, quæ contra nostram sententiam afferrentur. Sapienter tu quidem & amicissimè præcipis, ne patiar à Borussi, vel aliorum quorumcunque maledictis ac insectationibus à meo me dimoueri instituto, verùm ego ita vitã meã iãpridẽ institui, vt nihil mihi magnopere metuendũ existimarẽ, quod quidẽ à culpa absit. Quinetiam, id quoq; in animũ induxi meum, vt à iuuanda meis studiis posteritate, nullis calũniis, nullis latratibus me auertere sinã. Etenim si pulchrũ est (vt aiũt) laudari à laudato viro, putarim quidem

dē à perditiſſimis nebulonibus & impudētiſſimis Sycophātis laudari, prudētem virū neminem optare, quum id hominum genus laudare neſciat, niſi aſinos ſui ſimiles. Imò verò ab iiſdem ſi vituperentur ſtudioſi, & de republica benè meriti, maximo id illis ſemper eſſe honori exiſtimaui, cum huiuſcemodi inſidiatorum conſilia, nihil aliud moliantur, quàm virtutem opprimere, veritatemque confundere; vitium verò (ſi tantum poſſent) extollere, & mendacium fucatis ſophiſmatibus vbicunque alere, vt præ cæteris hiſce illuſionibus, miraculi aliquid in medium afferre videantur. Huius factionis Principem locum obtinere hoc æuo Guilandinum, quem tu vnà cum cæteris merito vituperas, neminem iam latere cenſeo, qui eius in me calumnias, criminationes, conuitia, maledictaque omni ſanè fœditatum genere illita, in libello illo, nō ita pridem Patauii ædito, perlegerūt,

à quo

à quo iã omnes tam eius amici quàm inimici, quibus veritas & humanitas cordi eſt, tanquam à fœtore intollerabili nares non aliter auertunt, quam ab horribili quacunque latrina. Quàm autem præter id quod malus eſt, etiam amens ſit, palam facit infeliciſſimi libelli vel titulus ſolus. Cum enim eum Apologiæ nomine inſcribat, tanquam refutationem eorum, quæ à me contra eum in Epiſtola ad celeberrimum virum GABRIELEM FALLOPPIVM de Bulbocaſtano, Holoconitide, Mamyra, & alijs nonnullis incognitis ei plãtis dicta erant, inſtituiſſet, mox inſtituti ſui oblitus nihil eorum affert, nec facit, quæ mendax inſcriptio pollicebatur, ſed ſe totum addicit conuitijs, niſi quod obiter mihi quædam errata, centum circiter numero (vt ipſe inquit) obijcit. Quod ſi ego contra unum hunc hominem facere uellem, hoc eſt dicere & facere, quæ facilè

poſſem,

possem, tam angustā ei citra magnum meum negotiū Europam redderem, ut uestigium in ea, quò pedem poneret, uix esset inuēturus. Sed melius est me tēperare, uel iustissimæ iræ meæ. Iam uerò quam leuibus armis contra me pugnat, dum errores (ut ille ait) quosdam meos nudos, nulla addita ratione, nec etiam antiquorum scriptorum auctoritate recenset, ipse tu, mi Crato, ista considera si placet, & haud dubiè insignem pessimi hominis ubique impudentiam, & rei plantariæ imperitiam deprehendes, quotiescunque me erroris alicuius insimulat.

APODOXIS PROBLEMAtis I. de Folio & Malabathro.

Confundere me in primis duo medicamenta scribit Folium & Malabathrum. Sed manifesti mendacii illum

accusant studiosi omnes, qui mea in Dioscoridem commentaria perlegerunt, ubi Syriaci folij & Indici Malabathri, non confusè (ut ille mentiri non erubescit) sed apertè & perquàm distinctè ex Plinio memini. Siquidem alterum haberi dixeram in Syria nascens quadam ex arbore folio conuoluto, colore arido, ex quo oleum ad unguenta exprimebatur, alterum uerò in India, in paludibus gigni, lentis palustris modo, Græcis *μαλάβαθρον* appellatum.

APODOXIS PROBLEMATIS II. de Cassia & Cinnamomo.

EAdem præterea calumnia in Cassia & Cinnamomo me falso insimulat, cum tam apertè mentiri audeat, scripsisse Galenum Cinnamomum transire in Cassiam, non autem Cassiam, ut ego legeram, transire in Cinnamomum.

mum. Sed tam procacis nebulonis calumniam, quàm maximè deteſtantur Galeni ipſius verba, libro I. Capite XI. de Antidotis, quæ ſic habent. Quandoquidem autem dixi tranſire ex Galbana in Sagapenum, quicquid illius ſpumoſum, conſiſtens, albumq; facilè in humorem diſſoluitur, addendum etiam hoc ſermoni eſt, & maximè propter ſimilitudinem permutationis ex optima Caſſia in Cinnamomum. Nimirum vidi iam ſæpius Caſſiæ proceræ, quæque ita feliciter excreuiſſet, vt ad fruticis magnitudinẽ perueniret, germina exquiſita planè ſimilitudine Cinnamomi, tam quò ad aſpectum, quàm corticis tenuitatem, aliasque certiſſimas Cinnamomi notas, quas tum guſtu, tum odoratu exploramus. Atqui longè etiam cumulatius capite XIIII. eiuſdem libri idem recitauit Galenus ſic inquiens. Caſſia autem genere ad Cinnamomum accedit. Etenim fit nonnun-

quam ex transmutatione illius Cinnamomum, adeo vt conspiciatur quidem tota ipsa quasi arbor exquisita Cassia, germina autem quædam in ea Cinnamomi continua ipsis Cassiæ ramis reperiantur. Hæc ille. Quæ qui dẽ qui legunt, nõ sine indignatione & stomacho mendacissimi hominis temeritatem exibilant ac execrantur, sibi certò persuadentes, diutius hunc apud Aristophanem, mimum, histrionem, parasitumque professum, quàm apud Dioscoridem & Galenum in plantaria præsertim facultate versatum.

APODOXIS PROBLEMATIS III. de Viburno.

CAeterùm quàm etiam à Poëtis explodenda ueniat noui huiusce interpretis sententia in censendo Viburno, qui tam elato supercilio Viburnũ clamat, non plantæ alicuius singularis

esse nomen, sed cuiuscunque in uniuersum uirgulti fruticis'ue propriũ, ij facilè iudicabunt, qui rerum epithetis examinandis diutius insudarunt. Inquit enim Vergilius: Quam tum lenta solent inter uiburna Cupressi. Sed cum frutices uirgultaque prope innumera habeantur, spinosa, rigida, obductisque duritie ramis, nec ulla in parte obsequiosis, huiusce fabulatoris insolentia omnibus palam fit, qui nulli lentori obnoxii, sed ueritati tuendę addicti, rigidiori uultu hasce intuentur ineptias. Quibus præ cæteris refragatur Ruellius, qui in rę plantaria examinanda indagandaque inter recentiores facilè primas tenet, quemadmodum multiplici lectione, Latini & Græci sermonis peritia, quàm plurimos antecellit. Is enim cõtra nugatoris huiusce fabellas eam ipsam plantam Viburnum putat, cuius nos imaginem appingi curauimus. Non solùm quòd flexilis ac len

ta ualdè omnibus ſuis partibus habeatur, ſed etiam quòd in Gallia hactenus proprium retineat nomen. Siquidem Galli arbuſculam hanc, una tantùm detrita litera, ſuo idiomate Viurna uocant.

APODOXIS PROBLEMATIS IIII. de Rubrica Sinopica & Lemnia terra.

ATqui an Armenius Bolus (de Orientali & ſelectiſſimo loquor) quo paſſim utuntur Medici, terra ſit Sinopica, non ſine reprehenſione reſpondebit Agricola præcellens foſſilium indagator, quippe qui tametſi hæc olim à Sinope Cappadociæ urbe, unde nomen inuenit, importabatur, nihilo ſecius haberi alibi etiam inquit, in aurariis, argentariis, ærariis, ferrariisque metallis, in quibus in Ilua (ut alias diximus) Tyrrheni pelagi inſula, huiuſce Rubricæ plurimum inuenitur.

nitur. Est enim hæc (vt Dioscorides inquit) grauis, densa, ad iecinoris imaginem vergens, non autem (ut selectissimus Armenius Bolus) leuis, & butyri instar pinguis. Vtimur & nos nostra Sinope, quam uilem, rudemq; bolum Seplasiæ appellant, ad sanguinis profluuium, quemadmodum & Galenus usus est, ubi Lemnia terra nõ erat ad manus. Qua in re non obscuras sanè uires retinet.

APODOXIS PROBLEMATIS V. de Costō, & Zedoaria.

ZEdoariam preterea legitimum esse Costum, ut impudens somniauit Guilandinus, negabunt proculdubio Dioscorides & Galenus. Ille quidem ꝙ Helenij radicibus, quæ uegetæ magnæq; sunt, Costũ adulterari scribat, hic uerò quòd pluribus in locis asserat Costum ex discussoria & adstrin-

gente constare facultate, & adeo eximij fragrantisque esse odoris, ut non minus ad unguenta odoratiora paranda eius apud antiquos inualuerit usus, quàm Malabathri, Amomi, Cassiæ, atque Myrrhæ, quibus tamen tum notis tum facultatibus Zedoaria prorsus destituitur, cum potius grauiter, quam suauiter oleat. Adde quòd Costo Galenus leuiculam planè amaritudinem & ualidam tribuit acredinem. Sed hæc in Zedoaria contrario modo se habent, cũ in ea ualidior amaritudo, & acredo remissior gustu facilè deprehendatur.

APODOXIS PROBLEMATIS VI. de Saliunca, & Nardo Celtico.

SAliuncam quoque non esse Celticam Nardum manifestò indicat Plinius libro XXI. quippe qui uno & eodem capite de utraq; speciatim egit,

tanquam de plantis inter se differenti bus. Nec præter id, eæ tantùm iis dissident notis apud antiquos auctores, sed etiam natali solo & uiribus.

APODOXIS PROBLEMATIS VII. de Tragio, & Dictamno albo.

NEC minus in censendo albo Dictamno, quod Dioscoridis Tragium facit, hallucinatus deprehenditur sordidus hic Matthæolomastix, cum Tragium Dioscoridi sit semine, folio, ramis, singulis Lentisco minoribus, Dictamni uerò huiusce folia, triplo Lentisci foliis maiora habeantur. Adde quòd è Tragio lachryma distillet, quę illita spicula e uulneribus eiiciat. Id quod in albo Dictamno nusquam hactenus uisum est.

APODOXIS PROBLEMAtis VIII. de Cneoro.

CNeorum, quod uideat inter adulterinas Thymelææ nomenclaturas habere Dioſcoridem, quodque habeat Galenus libro IX. Cap. III. de compoſitione medicamentorum ex Archigene καὶ κνέωρον ὃν ἔνιοι χαμαιλαίαν καλοῦσι: quinetiã qđ ſcribat Plinius lib. XXIII. Capite XXI. Thymelæam aliquibus Cneſtron, aliquibus Cneoron uocari, id quod me adnotaſſe ignorabat, non ſine ingenti latratu barbarus ille canis me adoritur. Verum enimuero ſi tantum rei herbariæ peritiæ, quantum maledicentiæ haberet, facile quidem nouiſſet utrumque Theopraſti Cneoron, à Dioſcoridis & Galeni Cneoro pluribus differre notis, quinetiam à Cneoro, de quo hoc loco meminit Plinius. Theophraſto duo Cneori genera deſcripta reperio. Album quidem odoratum,

&

& nigrum inodorum. Atqui vtrumque radice nititur grandi alteque descendente, floretq; post æquinoctium Autumni, & multo denique tempore floret, humique se spargit. Thymelæa verò Chamælæa'ue ambæ grauco lentes sunt, grandi altaq; radice haud quaquam nituntur, nec florent, nisi Vere inchoante, nec humi procumbunt. Adde quod nigro Cneoro folia Tamaricis reddidit Theophrastus. Sed eiusmodi folia, nec Chamælææ, nec Thymelææ insunt. De hoc albi Cneori genere meminit Plinius libro XXI. Capite IX. inter odoratas plantas, quibus ad coronas vtebatur antiquitas, & Cassiam appellari Higino scribit, quem postea sequutus est Gaza. De altero verò Cneoro, de quo Dioscorides & Galenus scripserunt, in quo Gnidium granum nasci ait, meminit is loco superius citato. Scribit de Gnidio grano Theophrastus statim simul ac de Pipere egit, non au-

tem

tem vbi tam diligenter Cneori historiam describit libro VI. Capite II. de plantarum historia, vtpote qui Gnidium granum non ignorabat Cneori non esse fructum. Plura autem reperio plantarum similia nomina, quæ tñ varias denotant plãtas. Telephium planta per se est, ita proprie appellata, verùm & semperuiuum tertium ipsi quoque Dioscoridi Telephium appellatur. Helxine, Parthenium idem appellat Dioscorides, Asarum Baccarem, & Asplenum Hemionium, cum tamen Parthenium, Baccaris, Hemionium aliæ per se sint plantæ. Hæc qui ignorant, & de his ratiocinari volunt, nil mirũ si à peritis derideantur.

APODOXIS IX. ET X. problematum, de Limonio, Behen rubro, & Sabina.

IMaginem, quam pro Limonio appinximus genúinum Behen rubrum

Mau-

Mauritanorum vnà cum vulgò eſſe pronunciat, cum tamen nullis notis Behen ipſum referat. Feram tamen patienter, quæ hac in cēſura de ſylueſtri beta cōtra me affert, quòd eadem de re longè magis laceret Galenum, vt Plinium ſeruet, qui aliorum fidem ſequutus, in quampluribus deceptus eſt. Is enim Limonium, ſylueſtrem betam eſſe ait. Quò fit, vt non Galenus, neque Matthæolus, qui de Limonio ſatis ſuperque ſcripſerunt, male herbariis (vt ille inquit aſinus) Betam ſylueſtrem ſubtrahere cupiant, ſed Plinius & Guilandinus id facere nitantur. Bacciferam Sabinam ſi nunquam vidit tam ſummus plantarum indagator, cur Fuchſium & Matthæolum reprehendit? Matthæolum ſcio ego è baccifero ramo ſuam pinxiſſe Sabinā, nec uereor quinetiā Fuchſius ſuam quoque ex uiua planta delineari curauerit. Sed huiuſce tam ſeueri rhizotomi cenſuram inanem in

firmamque pronuntiant Auicenna ac etiam Serapio, qui de Sabinæ baccis apertissimè meminere, & in medicum usum uertere.

APODOXIS PROBLEMAtis XI. de Cedro.

Porrò iam ad stuporem vsque huiusce calumniatoris insolentiam infidelitatemque demiror, quòd mẽtiri nõ erubescat, scripsisse me Cedrum magnam bacciferam esse arborem. Hominis tam procacis mendacium deprehendunt, qui mea legerunt in Dioscoridem commentaria.

APODOXIS PROBLEMAtis XII. de Consiligine.

QVid dicam etiam de huiusce blateronis in Consiligine censura, vbi mentiri tam temere audet? Inquit enim quinimo etiam affirmat, Plinio, Colu-

Columellæ, Vegetio, Absyrtoque Veratrum album Consiliginem vocari, cum tamen horum nemo id vllibi scribat. Consiliginis radicem inquit Plinius deploratis in Phthisi præstantissimum esse medicamentum, sed bibi debere ex aqua, haberique assiduè sub lingua. Vbi autem legerit nouus hic Aesculapius albo Veratro curari posse Pthtisicos, subdique id Glycyrrhizæ vice sub lingua, recitet is inter cætera, quæ refert, deliramenta. Lætetur futura posteritas tantum se medicum habitura, qui hac Consiligine tabidos ab inferis reuocet ad vitam.

APODOXIS XIII. ET XIIII. problematum de Mandragora Theophrasti, & Solano Sonifero Dioscoridis.

SOlanum maius Italis herba Belladonna vocatum, Mandragoram esse Theo-

Theophrasti contendit, vnica tantum racemorum nota, cum tamẽ nec foliorum, nec florum, nec caulium, nec radicis vsquam meminerit Theophrastus. Non enim plantæ ex racemis tantum, vt ex auribus asini cognosci possunt, sed alijs pluribus notis. Somnificum à Luca Ghino acerrimo simplicium indagatore Pisis mihi transmissum est sine floribus, crocatis baccis, folliculo obtectis, frequentibus caulibus, foliis plenis, malo cotoneæ æmulis, & (vt Theophrastus inquit) pilosis, & in ima parte latioribus, radice subalba, vt in sicca planta idem assignat Theophrastus, & Ghinus asserebat, saxosis locis & maritimis nascens. Has itaque si perpendamus notas, vanam acerrimi sophistæ cẽsuram facilè è suis deiiciemus præsidiis.

APODOXIS XV. ET XVI. problematum de Pipere rotundo, & Myrtidano.

ROtundum Piper Indicus iam negociator factus; Theopraſto Cubebam eſſe ſtatuit. Sed videat diligentius oportet, inuertatque Piperis aceruos, ſi ad mẽtem reuocari cupit. ibi enim innumeras reperiet rotundi Piperis baccas, ſubrubro adhuc putamine obductas, minimè rugoſas, erui æmulas, tegmine carneq; conſtantes (vt idem inquit Theophraſtus) ſicut laurina bacca. Cubeba enim ſuum intra putamen non carnem, ſed nucleum includit, qui longè magis amarorem, quàm vllam reſipit acredinem. Maiori ſanè iniuria affici non poterat Theophraſtus quàm illi genuinum rotundum ſubtrahere Piper, ac ſi tam notum aroma illi fuiſſet ignotum. Ad reliqua de Myrtidano & Myrrhidano, quod is rotundum piper facit apud Hippocratem,

cratem,

cratem, respondebit Galenus, quem illc tam temerè reprobat, libro de obscuris Hippocratis vocibus.

APODOXIS XVII. ET XVII. problematum de Santalis, Maro, Amaracoq́;.

SAntala nostri vsus, contra huiusce conuitiatoris opinionem, Mauritanorum esse Santala perpetuò crediderim, sed aberrasse eos in eorum temperamento, vnà cum cæteris doctissimis Medicis, non ambigo. Quæ de Maro & Amaraco scripserim, qui legerũt in meis in Dioscoridem commentarijs, meritò hunc damnabũnt calumniatorem, & omnium mendacissimũ promulgabunt.

APODOXIS PROBLEMATIS XIX. de Telephio.

FAbariam, quam tam temerè Telephium

phium non esse me putasse censet, si quis Telephij modo calidam absterforiamque dixerit, hunc extremo laborare stupore, quis nō asserat? Hanc si (vt in commentarijs nostris diximus) Telephium facere volumus, dicamus necesse est, hisce facultatibus nostram carere Fabariam, ob cœli soliquæ nostri temperiem, vt de Cyrenaico Aro scribit Galenus. Sed Telephium Theocrito Nicandri scholiastæ vocari Scorpioidē nostram, nihil sanè moror, quòd plantis pro regionum more diuersissima sint nomina. Sat quidem mihi est hanc plantam Dioscoridis Scorpioidē adeo per omnia referre, vt nulla prorsus nota sit, quæ reclamet.

APODOXIS PROBLEMATIS XX. de Amello.

C

iusce Pseudocrateuæ iudicium, quis non noscet in censendo Amello. Iam sęuientem in illum Vergilium video, uirgis unà colligatis, ad eius compescendam inscitiam. Siquidem cum is florem, non herbam describat, ferula excipiendum hunc esse putat, qui pro Amelli flore, uel Chelidonij minoris, uel Primulæ Veris folia, dubia & incerta sententia accipiendum censet. An quisquam, nisi stolidus, amens'ue, non uidet nullam caulium syluam ipsamque ingentem (ut Vergilius idem scribit) è Chelidonio minori, aut altera illa planta extolli? Taceo saporis asperitatem, quæ in hisce plantis nulla reperitur, quinetiam florendi tempus prætereo, quòd tantùm Vere ipso inchoante floreat Primula Veris, ac pariter Chelidonium illud aduentantibus ad nos hirundinibus: Amellus uerò autumni tempore intonsis à falce iam uallibus. Præter hæc cum florem, non herbam describat

bat Vergilius, de foliolis illis sese in toto floris ambitu circumfundentibus scripsisse necesse est, non de herbæ cuiusuis folijs. Atqui sanè demiror, quòd etiam ut tertium Amellum in medium afferret, maiorem non attulerit Persicariam, quòd huic longè euidentiora, quàm illis allatis plantis nigra illa stigmata in folijs uideãtur, ut numerosiorem in Amello progeniem relinqueret. Cæterùm cum te uirum doctissimum esse intelligam, cui mihi non opus sit hæc omnia explanare figmenta, cumque iam ad nauseam usque de his alias disputauerim, plura hic Guilandini somnia nunc explanare non libuit, quinetiam ea potissimũ causa, ne mea ingrauescentis iam ætatis momenta, quę in posteritatis & reipublicæ commodum mihi conferenda sunt, in hisce confutandis inanitatibus conteram. Borussum hunc diuina esse indole facilè intelli-

ſed ei præire, non illam explicare, ſed nouam per ſe ipſum condere velle videtur. Non dubito quin vbi ex India in Italiam redierit, modò interim elementa tam ſublimem nobis non rapiant naturæ indagatorem, aliam naturam in Europam ſit allaturus, quæ inauditas plantarum animaliumque transformationes nobis pariat. Verùm ſi hac duce ſuos etiam inhumaniſſimos non transformabit mores, non deerunt reipublicæ vindices, qui cacadæmonem hunc ad inferos repellant. Nam & in Hetruria Fraxinum naſci ſcimus, quæ non tantum virium facultate, ſed ligni etiam robore huiuſce Boruſſiacæ viperę venenũ coërcere poteſt. Egregium verò excogitauit ſymbolum, quo ad ſuum Oenopoliũ potantes alliceret. Quid enim ſtultius, quid inſolentius, quid denique inconſultius, quàm vnius tantum hominis cauſa vniuerſam in ſe concitare regionem? Et quam regionem?
Hetru-

Hetrutiam nimirũ, quæ euerti ſe imis à fundamentis optarit potius, quàm publicas iniurias impunitas relinquere. Audio à fide dignis hunc maledicorum obtrectatorumq; coryphęum, ſua è patria exulare publico Montis Regii Academiæ decreto, quòd ſeditiones nonnullas excitaſſet. Ideo mirum nobis eſſe non debet, ſi eo in Italiam reiecto ilico ibi plura corrumpi & malè admodum olere cæperint. Agaſonem Romæ & in Sicilia primum (vt audio) egit, quòd tanta fuerit illi penuria panis, vt aliunde ſibi victum comparare nequiuerit, quàm ex allatis è montibus ſuo cum aſino radicibus, cum quo, cum tam diu verſatus ſit, nulli mirùm videri debet, ſi aſininos induerit mores. Facinoroſum hominem nebuloni huic ſimilem nunquam antea genuiſſe Boruſſiam facilè intelligo ex illius gentis bonorum doctorumq́ue virorum mo-

mia, ac etiam in Polonia non parua mihi intercessit consuetudo. Inter quos sunt Valerius Fidlerus, Matthias Stoius, ambo Borussiaci Principis Medici, Iohannes Vuillebrochius apud Serenissimum Ferdinandū Archiducem Austriæ &c. collega meus, Robertus Fingcius Sereniss. Reginæ Poloniæ Physicus, Bartholomæus Vuagnerus, qui in amplissima repub. Dantiscana medicinam facit, & alii plerique, quos partim de facie, partim ex scriptis noui. Horum doctrinam, humanitatem, pietatem, fidem, modestiam, insignemque animi candorem, nescio quibus verbis, prout merentur, extollere debeam. Quò fit, vt credam, hoc monstro patria pulso, nihil ibi posthac facinoris, foetoris'ue esse reliquum. Sed ignosce obsecro mi Crato, si doloris iustissimi vehementia longius prouectus, molestias omnes animi mei, in tuum amicissimi mihi hominis sinum ita confiden-

denter effudi. Leniri enim mihi ali-
qua ex parte videtur dolor meus, cū
eſt, cum quo quaſi partiri eum, vel
colloquio, vel per literas commodè
poſſum. Cæterùm velim tibi perſua-
deas me eam amicitiam, ad quam me
tui primum libelli iam ſæpius in vul-
gus æditi, deinde etiam nuper ſcripta
humaniſſimè ad me epiſtola inuita-
uit, ſanctè quoad vixero culturum, &
vbicunque occaſio aliqua ſe dederit
tuæ famæ & commodis tuis omni ſtu-
dio ſeruiturum. Vale.

FINIS.



PATAVII,
Apud Gratiosum Perchacinum.
M D LXII.

